

יהוה
Deo Benedicente
EHRENFRIDI HAGENDORNII, M. D.
Academici Curiosi et Medici Electoralis Saxoranic
CYNOSBATOLOGIA
ad Normam
ACADEMIÆ NATURÆ - CURIOSORUM
adornata
Impensis Johannis IENÆ Bielcky Bibl. Anno 1681

SERENISSIMO, POTENTISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

JOHANNI GEORGIO II.

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MONTIUMQUE DUCI S. R. IMP. ARCHIMARESCHALLO, ET

ELECTORI

LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, ET UTRIUSQUE LUSATIÆ, BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI, COMITI MARCÆ ET RAVENSBURGI, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

FELICITATEM PERPETUAM!

SERENISSIME ELECTOR,

DOMINE CLEMENTISSIME,

EA Domus Veſtræ Saxonicæ *per plures annorum centurias fuit majeſtas, isque ſplendor, ut tùm Exteris ſummam cederet in admirationem; tùm Domeſticos ad religioſiſſimum pelliceret cultum.*

Sive

Sive enim ad primam illam ætatem, quâ Serenissima *Prosapia natales vidit Suos, sive ad subsecutura, quibus* Electorali *Purpurâ fulgere cœpit, tempora, oculos animumq́ reflectamus, Rebus tùm togæ, tùm sagi tempore præclarissimè gestis, magna Eandem fecisse laudum spatia, videbimus. Hinc factum quoq́, ut* Imperatoribus *magnis essent in deliciis* Saxonici Illi Heroes, *& ab* Illis *Insignia Sua non uno locupletari viderent Emblemate, quæ inter elegantissimô quoq; nexu è* RUTA *conflata*

flata

ſtata cernitur Corona. *Nec ſine omine. Liceat mihi* Hoc Sertum *paucis ſcopo applicare meo.*

Id RUTÆ *elogium eſt, quod ex planta communiter humili, ope jugi culturæ, in ſatis altum adoleſcat fruticem, Arbori geminum. Sic exigua licet* Sereniſſimæ Domus Saxonicæ *olim fuerint primordia, temporum tamen curriculo in tantæ molis ſurrexit* Arborē, *quæ in longe lateq; patentes Nepotum Ramos,* REGUM *quoque Sanguine nobilitatos, diffuſa, Orbi univerſo extitit ad-*

admirabilis; omni autem ævo facta est venerabilis.

Alexiteriorum Apex audit RUTA, *eoq; nomine unica serpentum fuga creditur. Consimilis quoque* Serenissimis Saxon. Ducibus *fuit, & usque est felicitas, ut venenosa hostium spicula ad Odorem Saluberrimæ Hujus* RUTÆ, *divinâ quasi virgulâ tacta retrocedere, torpescere & virus amittere suum cogantur. Hinc, quam Alii armis, igne, sanguine, hanc Vos sapientiâ, consiliô, prece, vel servare, vel recuperare,* PACEM, *Optimam rerum, gloriosè*

 osè

osè didiciſtis; hoſtibus ita in opprobrium, aliis verò in exemplum.

RUTA *faſcinis medendis, Dæmonibusq́; fugandis operam conferre dicitur. Piô* Domus Veſtræ Saxon. *Zelô in acceptis unicè ferendum, quod per ſubjectiſſimos regionum tractus templorum ſacri niteant cultus, procul abeſſe jubeantur hæreſes, eliminenturq́ue in DEUM blaſphemi, malisq́ue artibus infames. Gloria DEI, cui ſervandæ, cui amplificandæ ſtrenuam navatis operam,* Vobis *ſuprema ſemper lex eſt.* *Au-*

Aureo quoq; micat floris colore RUTA, *Solis æmulo.* Domus Vestra Saxon. *fulgentissimo irradiat jubare subditorum penates, in exilium pulsos, aliosque novercantis fortunæ filios blando alit fotu, benigno eosdem excipit sinu, & cum fortunâ in gratiam redire facit. Sic idem fulgor plenissimis quoque radiis nitet in Foro, clarescit in Choro, resplendet in Toro: ut hinc ubique habeat, quò de* Nutritio *triumphet Suo subditorum cohors.*

Perennante porrò gaudet virore vigoreq; RUTA, *ipsis-*

):(*simum*

ſimum ſæpè glacialis hyemis frigus eluſura. *Pariter nec tot perſecutionum agmina, nec tot bellorum inſultus, quibus preſſa, non oppreſſa fuit* Domus Saxon. *marceſcentem reddere valuerunt* Coronam *hanc* RUTACEAM; *quin potiùs ſub eorundem inclementiis inter medias velut undas caput glorioſè extulit, & quævis fortunæ ludibria maſculo ſemper niſu eluſit.*

RUTA *de cætero defunctorum vel ornat ſepulchreta, vel in eorum conditūram unà adſcitur. Det* Jehova, *ut* Se-

Serenissima Domus Vestra *serò indigeat lugubri hoc ornamento, quin potius in seros usque annos vitam trahat* Ruta *vegetiorem*, Ruta *splendidiorem*, Ruta *perenniorem!*

Et huic Gloriosissimæ Rutæ, Serenissime Elector, *quæ dudum facta est stellis contermina, audet impræsentiarum humilimo ausu, subjectissimaque devotione abjectissima* Cynosbatos *mea se sistere. Anhelat ab Ejusdem Umbra, tanquam DEO quodam tutelari, tenerrimi instar embryonis,*

cle-

clementissimè foveri, ut ætatem, si quam merebitur, ferre, & spinosos malevolorum oculos eô faciliùs sustinere queat.

Magnum profectò hoc videbitur postulatum, magnaq; servuli audacia. Animum tamen reddit, quòd & olim Auroræ, Solis prodromæ, Rosas *fuisse dicatas noverim. Est etiam* Cynosbatos *mea* Rosa. *Quô nomine non dubitat coram* Aurora Solis nostri Saxonici *obsequiosissimo cultu sese supplicem abjicere, secura eò magis de clementissimo Illius in se derivan-*

rivando Vultu ; quò magis memori repetit mente Gratiam, *immortali prædicatione dignissimam, cùm superiore Anno* ELECTORALIS VESTRA SERENITAS *me, immerentem licet, laudatissimo* Electoralium Medicorum *Ordini adsociari clementissimè juberet.*

Majora certè mihi non potuissem promittere beneficia. Quæ propterea nunquam animô excidere meô patiar. Sic Vivat ELECTORALIS VESTRA SERENITAS, *atque inter* Senii *Vegetioris augmenta,*

feli-

felicissimi Imperii *ornamẽta*, & *perennaturæ* Pacis *Halcyonia*, *serò in Cælum redeat! Scrib.* Gorlicii Lusat. *Anno* cIↄ Iↄc *LXXX. Calend. Martii.*

ELECTORALIS SERENITATIS VESTRÆ

humilimus servus

EHRENFRIDUS HAGENDORNIUS, D.

PRO-

PROPOSITUM EDENDÆ CYNOSBATOLOGIÆ VOTIS FELICIBUS PROSECUTI SUNT SEQVENTES.

D. O. M. A.

UT reliquos inter flores ROSA ſola triumphat,
Sic Roſa nata agris ſvavior horticolâ.
Cura licet ſatagat Naturam vincere cultu,
Attamen incultæ gratia major ineſt.
Virtus, uſus, odor, generoſus ſpiritus, unguen,
Omnia præ culta nobiliora domi.
Eruit has vires, meruitque adamabile nomen
PEGASUS; En noſtri vel Roſa prima Chori!

):( ):(Sol-

Sollicitè cultis Tulipæ curantur in hortis;
Balsama dant rupes, Cinnama vile nemus.

Johannes Michael Fehr,
D.Phys.Svinfurt.Ordin.S.R.I.
Acad.Nat.Cur Præses d.
Argonauta.

EHRENFRID HAGENDORNIUS
de se ἀναγραμματικῶς loquitur:
FERARNE DIGNE RHODINUS?

Pieridum postquam viridi sum cultus in horto
si quibus inde rosas dicor ubiq; loqui;
En! dignè rhodinus ferar. *At quia gloria linguæ*
non minor est patriæ, resq; parata placet;
Lætus adhuc tueor nomen vetus, atq; libenter
Sylvestris memoro commoda multa rosæ.

Noriberg. 3. April.
1680.

Pegaso II. Helianthus.

PRO-

PROLEGOMENA.

Vegetabilia ab ipsius mundi infantia magno semper fuerunt in pretio, magnoque in numero. Hinc nulla gens tàm barbara fuit, quæ magnificè de iisdem non sentiret, quæque in encomia eorundem latè non excurreret.

Obstupescimus, quanto labore, quantisque sumtibus tùm agris, tùm hortis studiosè excolendis, operam navârit prisca mortalitas. Mirari pariter subest, quàm anxiè morbis è plantarum familia & quæreret & inveniret remedia, paucarum licet primitùs ea herbarum fuerint. Ver-

bo, & Protoplasti, & posteri per tot annorum decursus in Regno hoc, tanquam in quodam Amalthææ cornu, invenerant, quô & de victu, & amictu, addo & medicina sibi suisque lautissimè possent prospicere. Et sanè etiam prospexerunt, loquentibus id tot tùm sacrarum, tùm profanarum historiarum paginis; suffragantibus pariter tot egregiis de Agricultura ritè excolenda, itemque de medicina ex plantis petenda, monumentis.

Bone Deus, si per species ire & numerare volupe esset tot de agricultura, tot de nomenclatura & virtutibus herbarum, tot de pharmacis ex Vegetabili Regno desumendis, volumina, inimitabili labore conscripta; Si denique recitare animus esset tot hominum millia, qui

ex

ex uſu herbariæ medicinæ convaluerunt, certè labor eſſet non unius hominis, nec unius ætatis, adde & impoſſibilitatis.

Et his, quæ diximus, licet magnus ſemper conſtiterit honor, magnaque dignitas, evenit tamen, ut, quæ rerum omnium viciſſitudo eſt, labori & diligentiæ huic veteris ævi non ubique idem reſponderet eventus, nec eadem fortuna faveret. Non licuit ipſis omnia ad eum perfectionis gradum, quem intenderunt, perducere. Fecerunt, quod potuerunt, quod ætas tulit. Glaciem fregerunt, quam poſteri ulterius calcare poſſent, perſvaſi, rerum Naturam & ſubſecuturis ævis quædam reſervaſſe, in quibus ſe exercerent, & vires periclitarentur.

Hinc videas pro excolenda cu-

riosius Agricultura novos indies per Angliam, per Germaniam &c. surgere *Varrones* & *Columellas*, qui veterum tyrociniis neglectis arte quadam compendiariâ nova ostendunt molimina, & citius, & fructuosius agros hortosque meliorandi fœcundandique, inventis à se instrumentis negotio aptioribus, & genio agrorum magis respondentibus.

Alibi videas tot stupendos & magnificos jam exstrui Hortos, cum Adonidis & Hesperidum Viridariis de principatu tantum non certantes, sive respicias luxuriem plantarum ex omnibus mundi angulis propemodùm conquisitarum; sive oculis usurpes tot species Tuliparum, caryophyllorum, liliorum, tot arborum Veneres, tot olerum blanditias, quæ prisca gens non vidit.

Co-

Comitaberis nos in Medicorum, quos noſtra fert ætas, Muſæa, inquirendo in plantarum geneſin, aliaque circa eaſdem ſingularia. Ecce præter alios ſurgent *Malpighius*, & cum eo *Nehemias Grew*, quorum uterque tùm de ortu & naſcendi modo; tùm de organis, per quæ nutriuntur, ingenioſè te erudient. Præſtò quoque erit *D.Pechlinus*, qui plantas nihil eſſe aliud, quàm bullularum terreſtrium compagem aquâ & aëre interſtinctam, per mechanicam docebit. Monſtrabit *D.Major*, quâ ſuccus nutritius ratione per iſta organa circuletur. Deteget *Borellus*, cryſtallinô armatus oculô, minutiſſima in plantis alia, quæ viſus noſter nunquàm detexiſſet.

Sollicitabis alios ad plura Nova Regni vegetabilis palàm facienda. En! *Dn.Balduinus* noſter tibi

exhibiturus est Ver perpetuum, perenneque Viridarium in Musæo. Prolificationem seminum, & hinc messem centuplo majorem, communicabunt laboriosissimi *Angli*. Resuscitationem plantarum sistent *Kircherus*, *Tackius*, *Kergerus*, *Sachsius*, aliique complures. Extemporaneam seminum in plantas metamorphosin ostendet *Ernestus Burggravius*, & cum eo *Becherus*.

Transibis ad pharmaca, quæ Vulcani ope ex Vegetabili familia confiunt; En! tibi sistet Sal plantarum volatile *Dn. D. VVedelius*, vel ob id æternâ famâ dignissimus. Alius tibi propinabit spiritus, elixiria, essentias, olea, tincturas. Erit, qui salia, magisteria &c. singula vel guttulis, vel granis, pro majore linguæ blandimento metienda, offeret. Cùm vice versa antiquitùs nihil vidisses

disses aliud, quàm decocta, quæ amplis propinabantur ampullis, vel pulveres, qui plenis offerebantur pyxidibus. Alia ut taceamus.

Progredieris nobiscum per *bibliothecas* Medicorum, eorumque supellectilem excuties librorum, qui veterum Botanographorum redolent lucernas; Quid, quæso, aliud inibi invenies, quàm vastissima volumina, quæ pulpita & numero augent, & mole onerant? Quid aliud reperies, qùam integram vocabulorum sylvam, diffusissimosq; herbarum schematismos? Quid videbis aliud, qùam sexcenta facultatum, quibus plantæ abundare dicuntur, præconia? Ut hinc jam suo tempore non ineptè conquestus fuerit *Galenus*, cùm diceret; *Nullum eorum, qui de re herbaria sunt commentati, accuratius aut verius, aut do-*

ctius scripsisse, quàm Dioscoridem.

Quare, ut mores isti veterum in melius emendentur, nec tam diffusa involvantur discentium animi prolixitate, Viri quidam modernorum excellentes anxio desudârunt conamine, & quæ olim vastis circumferebantur voluminibus plantarum facultates, has in compendium nunc coëgerunt, & non nisi per experientiam nobilitatas Orbi publicis scriptis obtulerunt. Id quod aliquot abhinc annis perennaturâ cum laude fecerunt *Joh. Schröderus* in pharmacopœia Medico-Chymica, *Simon Pauli* in Quadripartito Botanico, *Fridericus Hoffmannus* in clave pharmaceutica Schröderiana. Quorum vestigia legere annisi quoque sunt nonnulli ex Imperiali *Naturæ-Curiosorum Academia*, qui ex Regno

vege-

vegetabili certa quædam plantarum genera curiosè examinanda sibi sumserunt, eaque magno cum nominis incremento publici juris fecerunt. Cujusmodi curiosioris monetæ partus, ut ex ungue Leonem, diceres, *B.D.Sachsii* Vitem viniferam; *Dn. D. Febrii* Scorzoneram & Absinthium; *Dn. D. Petri* Carduumbenedictum: *D.D. Jungii* Cydonium: *Dn. D. VVedelii* Opium: *B. D. Mollenbroccii* Cochleariam: *Dn. D. Hertodii* Crocum: *Dn. Lic. Scharffii* Juniperum, & si quæ alia.

Et hi Recentiorum labores, hæcq; inventa, licet apud plerosque bonæ mentis alumnos mereantur applausum, non desunt tamen & Olores, quibus nihil sapit, nisi quod panacææ, arcani, particularis, ex metallica deprompti familia, veniat titulo.

tulo. Hinc vegetabilium pharmaca ad Indos usque relegant, è Receptis, è musæis, è laboratoriis, penitùs exulare jubent, imò inter stercorariam medicinam ea referre haut erubescunt. Alii, licet vegetabilibus benè cupiant, ubi tamen recentiorum spiritus, elixiria, salia &c. vel olfaciunt, vel vident, indignabundo quasi stomacho ea fastidiunt, maluntque veterum calcare viam per præscriptionem decoctorum, siruporum &c. fabrefactis ob id Receptis trium ulnarum, compilatisque unicam in formulam tot rerum miscellaneis, quas vix clitellarius veheret asinus, uti loqui amat *Menens d. aur. vellere p. m. 48.*

Mediâ rectius incedent viâ, qui nec vegetabilibus, nec metallicis, quicquam derogant, sed ambo amicabili conjugio vel invicem

mari-

maritant, vel interpoſitis vicibus ea uſurpant, recordantes tamen, plus interdum ſimplici, quam compoſito poſſe profici, vegetabiliaque ea eſſe, quibus non facilè delinqui poteſt.

Et hoc nobis quoque dictum eſſe putavimus, in hac, quam ſcribimus, opella. Hinc id, quoad licuit, ſemper in ea egimus, ut nullius autoritati quicquam detraheremus, nec experimenta aliorum temerè traduceremus, omnia probaturi, bona tamen quæ ſunt, ſervaturi. Fatemur quoque, non omnia in opuſculo novis, nec omnia noſtris ditata eſſe experimentis. Sunt & veterum, ſunt & recentiorum nonnulla. Nihil omittere fas fuit eorum, quæ Themati huic ſive illuſtrando, ſive augendo eſſe poſſent. Secuti ſumus per omnia Leges *So-*

cie-

cietatis nostræ, quibus morem gerere nostrarum partium esse putavimus.

Quare rogandus erit *Lector*, velit pro candore suo commendabili *Rosas*, sibi suisque olim profuturas, non *Spinas*, quæ Momo rectius consecrandæ, inde colligere, pariterque in memoriam revocare, quæ alicubi *Arnoldus de Villa Nova* memoriæ prodidit: *Fallacem esse medicum, aut ignarum, qui quærit inusitata & rara, cùm possit communibus subvenire languenti.*

I. N. J.

I. N. J.

CYNOSBATOLOGIÆ

LIBER I.

PHILOLOGICUS.

CAPUT UNICUM

de

Onomatologia.

SUMMARIA.

Vox Cynosbati origine Græca est. Unde derivetur? Autoris sententia? Cur à veteribus ita fuerit dicta? Rationes aliquot enumerantur. Variis nobilitatur titulis. Cynosbatos nostra à Cynorrhodo non differt. Quomodo Germani Cynosbatum vocitent? Πολύσημον *quoque est vocabulum Cynosbati. Differentia inter Cynosbatum arborescentem, & fruticescentem. Synonyma fructus Cynosbati. Ratio, cur* Butten/ Büttel *&c. fuerint appellati? Spongiæ Cynosbati cognomina annectuntur. Malè vocantur Bedeguar officinis.*

MIssis nunc, quæ præmittere visum fuit, Prolegomenis, statim nos accingimus, receptâ nobis hactenus methodô, ad Philologiæ fontes,

atque ex iis vocabuli, puta *Cynosbati*, Etymon haurire, quoad ejus fieri poterit, satagimus. Quod ipsum è Græcanica esse prosapia, quivis vel leviter in politiore literatura versatus nobiscum ultrò fatebitur, licet hactenus tùm in Botanicorum monumentis, tùm dispensatoriis & veterum & modernorum, ut plurimùm Latinô insignita scriptave fuerit charactere. Compositum verò cùm sit, id quod etiam me non monente satis obvium erit, fas erit, dispiciamus, unde à Philologis derivetur? *Scapulam in Lexico p. m. 904.* si admittimus, à *κύων*, vel *κύνος*, canis, & *βάτος*, rubus, sentis, quasi dicas canina sentis, sive rubus caninus, sive, quæ ejusdem mens est, per antiphrasin dicitur quasi *ἄβατος*, inaccessus, propter minores & nocentes spinas, *Cynosbatum* componi actutùm videbimus. Mallemus tamen si liceret, posteriorem à *κύνος* vocabuli derivationem eò lubentius amplecti, quò magis appropriatam esse eandem reputamus, idque per hanc rationem, quòd literæ nullæ neque omitti, neque transponi, immutarique sic necesse habeant.

Quare verò hic frutex cum fructu, quem fert, per vocem *rubi canini*, vel *sentis caninæ*, in scholis Philologorum hactenus sit expressa notataque, curiositatis gratiâ si

quæ-

quæramus, non abſurdè fecerimus. Ut, quod nobis hoc de negotio videatur, ſuccinctè dicamus, videtur, primis nominum impoſitoribus ſuas non defuiſſe cauſas, ob quas huic vel illi rei tale vel tale imponerent nomen, maximam nempè partem reſpicientes tùm ad qualitates, tùm ad aliarum rerum circumſtantias, quibus nomina fuêre danda. Ut hinc opinemur, ſalvô tamē aliorum verius ſentientium judiciô, id ideò factum, partim, quod viderint hoc fruticis genus copioſis innumeriſque obſitum eſſe ſpinarum aculeis, undè collibuit tali etiam cognomine fruticem huncce inſignire; partim quoque id cauſæ fuit, quòd, licet ſpinis horreat hic frutex, tamen quaſi loco differentiæ ſpecificæ addiderint κύν@ canis, quoniam & complures alii dantur frutices plantæque ſpinis obſitæ. A *cane* autem fruticem dicere voluerunt, ideò, quòd vel canes tali frutice inſigni velut ſympathiâ delectentur; vel quòd canes ejusdem ſtipite ſint abigendi commodius; vel quòd morſibus canum rabioſorum, ut infrà habebimus, ſpecificè quaſi radix *Cynosbati* medeatur; vel ex contemtu quodam hujusmodi Roſarum ſylveſtrium, ita dictus fuit, cùm odore, ceu ſativæ & domeſticæ, non usq; adeò ſe commendent, & hinc indè ad ſepes

& dumeta iter facientibus sint molestiæ & offendiculo; parilem in modum, quô novimus bellides minores campestres à vulgò Hundsblumen/ itemque flores tunicæ sylvestris Hunds-Nelcken / contemtim vocari. Sed & hîc suo quemque sensu abundare permittimus.

Sequitur nunc, quibus *Cynosbatos* nostra gaudeat *Synonymis*, quoque dispiciamus. Insignitur itaque hæc nostra *Cynosbatos* à variis variè. *Plinio lib. 8. c. 25. κυνόρροδος* & *κυνόρροδα*, i.e. Rosa canina appellitatur. Sic loco *Cynosbatos* & *Cynosbaton* quandoque legi, ex *Theophrasto Hist. plant. l. 3. c. ult.* allegat *Scapula in Lexico* l. c. *Dodonæo histor. stirp. pemptad. 2. lib. 1. p. 187.* vocatur *Rosa sylvestris*. Cui etiam *Matthiolus*, *Tabernæmontanus* & alii complures adstipulantur. *Rosam* sylvestrem vulgarem appellitat *D. D. Elsholzius horticultur. lib. 4. c. 11. p. 298.* Itemque *Casp. Swenckfeldius d. stirp. Siles. p. 184.* *Rosæ caninæ odoratæ* nomine venit *Lobelio*, citante *Elsholzio* l. c. & *Swenkfeldio* l. c. Per *Rosam caninam simpliciter* sic dictam effert *Andr. Spigelius in Catalogo hort. Lugdunens. Bat. p. m. 256.* Et Rosam primam sylvestrem vulgarem flore odorato incarnato *Bauhinus*, citante *Simon Pauli in quadripartito Botan. class. 2. p. m. 32.* appellitat.

Diximus suprà, *Cynosbatum* nostram vocari

cari quoque *Cynorrhodon* à *Plinio* & aliis. Qua de re multi Botanologorum variè altercantur. Quidam ex illis hæc duo ab invicem discrepare autumant, & rigorosè, tanquam pro aris & focis, ob id dimicant, ut *Matthiolus*, & qui eundem sunt secuti. Quos tamen tum autoritatibus, tum rationibus ab experientia petitis, masculè & sufficienter, refutarunt sublimioris caveæ Botanici, inter quos nominamus saltim D. *Simonem Pauli Quadrip. Botan. class. 2. p. 22. & seqq. D. D. Ammannum d. plant. Lips. p. m. 41. Hieronym. Bock. in herbar. Germ. part. 3. cap. 19. p. 364.* qui *Cynosbatum* cum *cynorrhodo Barbari* coincidere asserit.

Alioquin vocabulum *Cynosbati* vernaculo idiomate salutatur Hagenbutten-Strauch / totam nempè si intelligas fruticis compagem, seu, si mavis, subjectum. *Medicina experimentalis Dygbaana Tom. 1. p. m. 196.* dicit Hunds-Dorn / wilder Rosen-Stock / itemque *Cardilucius d. Diat. c. 30.* Flores vero, quos ostendit, Germanis communiter audiunt Dorn- oder Heck-Rosen / autore *Casp. Swenckfeldio* l. c. forsan ideò, quod dumetis gaudeant, pluribusque horreant spinis. Dicuntur ulterius wilde Dorn-Rosen / ad differentiam paritèr rosarum domesticarum. Adi sis *Hieronym. Bock, in herbario part. 3. c. 11. p. 358.* qui l. c.

quoque per Büttel-Rosen/ exprimit. Aliis dicuntur Feld-Rosen/Heyde-Rosen/Hayn-Hecke/ allegante *Schrödero pharmacop. Med. Chym. l.4. pag. 60.* eâ fortassis de causa, quod in confiniis agrorum, sylvis, sepibus &c. lubentissimè frequentissimeque & nasci & in fructus se vestire gestiant. *Galli* dicunt Roses sauvages.

Synonymiam ordine excipit *Homonymia. Cynosbati* vocabulum esse πολύσημον, & in ambitu significationum versari, ex dictis vel spontè clarebit. *In specie* & strictiore significatu si usurpetur, propriè *Cynosbatos* audit Hagendorn / frutex ille arboreus, interdum sic satis procerus, floribus oblongis, iisque albicantibus, wie ein Dolde/ fructu rotundo &c. dotatus. Vid. *Tabernæmontani herbar. l.3. p. 1449. In genere*, & in laxiore significatione si usurpaveris vocem *Cynosbati*, tunc denotabit *Rosam sylvestrem, caninam* utplurimum dictam. Imò & *Bock. in herbario part.3. c.11. p.358. Cynosbati* vocabulum tàm latè patere asserit, ut rubum quoque idæum sub se complectatur. Et *Zaluzanius* sub nomine *Cynosbati* quoque capparim comprehendi scribit, *Method. herb. c. 20. p. m. 207.*

Et hæc de nomenclatura vocabuli, puta, *Cynosbati*, quatenus integrum denotat fruticem, hactenus dicta sunto. Sequitur quo-

quoque videamus, quibus nominibus ipsimet fruct9 *Cynosbati* Botanicis veniant. Dicuntur usitato more fruct9 *Cynosbati*, uti videre'est ex dispensatoriis.*B.D.D.Jo.Theod. Schenckius,in Syntagm.praescrib.formul.remed.p. 253.*vocat quoq;baccas.Nostratib9 idiomate patrio dicuntur Hagenbutten/sive Hayn-butten. *Hieronym. Bock. berb. loc. suprà cit.* per vocem Haynbuttel/ item *p.361.* Hagen-butteln/ exprimit. Rosen-Eicheln vocat *D. Cardilucius d. Diat. c.30. Saxonibus* & qui in confiniis degunt, indigitantur Wiegen/ id quod ex Catalogo Medd. Witeberg. Itemque ex horticult. *D.D.Elsholzii lib. 4. p. 298.* patescit.

Cur autem Butten/Hayn/ oder Hagen-Butten fuerunt dicti, vocabulo quasi barbaro, & obscuræ originis? Ut, quod nobis videatur, dicamus, Hayn/ oder Hagen nomen acceperunt vel exindè, quod in lucis, Haynen/ sive dumetis, Hecken / maximam inveniantur partem.Unde autem additum illud Butten/ sit natum, dubio difficultateque non caret. An dicendum,vocabulum Butten à Græcanico βάτος,quod rubum significat, originem traxisse, ut hinc ex inopia commodioris vocabuli mutarint βάτος in Butten/ Büttel? An opinari quoque licebit, vocem Butten / à dicterio illo vulgari natales traxisse suos, quando homines minoris staturæ & ma-

cilentos, wenn sie nichts wachsen und zunehmen wollen / sive ex indignatione, sive contemtu quodam, dicunt, du Butte / du bist gantz verbuttet. An denique asserendum, vocabulum Butten / appellationem esse sortitum à voce Bützel / sicuti benè multis Germanorũ vocari consuevit conglomerata illa acinorum in fructu *Cynosbati* proles, ein Bützel-Kerne; vel juxta *Hieronym. Bock. in berb.* l. c. à summitatibus illis ex fructu *Cynosbati* protuberantibus, Bützlein eidẽ dictis. Utra derivatio melior, curiosis Philologiæ consecraneis examinandum relinquimus.

Sic sub nomenclatura *Cynosbati* nostræ, tanquam pars, locum quoque gestit *Spongia* illa, quæ itidem varias sortita est appellationes. *Dodonæus histor. stirp. pemptad. 2. l. 1. c. 187.* pilulas vocat hirsutas, echino castaneæ quasi similes. Sic idem cum *Fuchsio* capitula Rosæ sylvestris nuncupat. Rosarum fungus dicitur *Swenckfeldio d. stirp. Siles. p. 187. Thom. Willis pharmaceut. ration. part. 2. p. 162.* excrescentiam *Cynosbati* spongiosam; *Hartmannus in not. ad Croll. basilic. Chym. p. m. 432.* capita capillosa; *Jo. Macasius Mat. med. p. m. 180.* aliique glomos; viscum verò *D. D. Ludovici Dissert. 1. d. pharmac. mod. p. m. 618.* indigitare voluerunt. Sic hinc inde apud autores legitur quoque diminutivum *spongiola*:

giola: malè autem *ſpongeolus* dicitur *Marcello* Empirico, notante *Simon. Pauli in quadripart. Botan.* ſub *Cynosbato*. Perinde etiam *ſpongiola è Roſis ſiccis* dicuntur *Schrödero l. 1. p. 108. pharmacop.* Nec immeritò; cùm & hæ diſpari gaudeant magnitudine, quibusdam nempè minoribus, quibusdam verò majoribus exiſtentibus.

Germanis veniunt nomine Schlaff-kuntz/ Schlaffäpffel/ autore *Schrödero pharmacop.* l. c. item eodem teſte *l. 1. c. 13. p. m. 108.* Schlaffkautz/ Rosenschwam/ & *Hieronymo Bock in herbar.* l. c. rauhe Schlaffkolben/ haarichte Schwämlein dicuntur. Noſtrates mulierculæ vocant die Schläffe/ quibus in pervigiliis infantum, cervicibꝰ eorundem ſupponendis, maximè utuntur. Aliàs in diſpenſatoriis quoque nonnullis vocantur ex fonte Arabico *Bedeguar*; vel ut *Mylius in Spagyr. pract. l. 2. c. 14. p. m. 701.* vult, *Bedegar*. Verùm perperam ita vocari, qui eos caſtigat, *Dodonæus* l. c. reſtè ingerit, cùm Bedeguar *Arabibus* ſit Cardui ſpecies. Et tantum de *Nomine*.

LIBER II. PHYSIOLOGICUS.

CAPUT I.

De Vegetatione Cynosbati in genere.

ARTICULUS I.

De Modo Vegetationis.

SUMMARIA.

Herbæ tum nascentes, tum adultæ debent examinari. Semina plantarum ova sunt. Semen in terra primùm maceratur, posteà lactescit, deinde germinare incipit, hinc organa capessit, & demùm in folia, flores, fructus &c. maturatur.

DE *Vegetatione Cynosbati* acturis in mentem venit, quod literis consignavit *Zaluzanius Meth. herb. l.1. c.12. p. m. 25.* cùm ait, *si cui in animo est plantarum peritiam assequi, eum oportere primâ generatione solò emergentes, adultas & senescentes contemplari. Nam si pullulanti herbæ duntaxat adstiterit, adultam cognosci non posse, neque si adultam tantùm inspexerit, nuper erumpentem nosciturum.*

Quo nomine & nos rem ab ovo, quod dicitur, auspicabimur, semina *Cynosbati* pariter

riter & aliarum plantarum nil nisi ova esse, sano tamen ubique sensu, ad veterum mentem asserentes, in quibus totius plantæ idea, sive configuratio cum omnibus ejus qualitatibus & organis, ceu in compendio conclusa, delitescunt, tùm ab interno suo motore, tùm ab externo solari calore evolvenda, & in actum deducenda.

Quare semen *Cynoskati* terræ matrici commissum, postquam per aliquot mensium spatia in ejusdem gremio embryonis instar delituit, per ista tempora sensim à liquore terræ aqueo maceratur (wird eingeweichet) unde semen posteà evadit mollius, pori ejusdem magis magisque dilatantur, totumque corpusculum mole augetur. Dùm hæc fiunt, Archeus seminalis internè, ne otiosus sit, laxatis sic totius habenis, sensim fit sui juris, hinc liberius agit in materiam substratam, & rudimenta germinationis quædam ponit. Priusquam verò germinatio quædam fit conspicua, tota seminalis massa, quæ intra capsulam continetur, quasi lactescit, (lieget in der Milch) qui ipse actus nihil aliud, quàm inchoatam quandam liquoris seminalis turgescentiam denotat, per quam fit, ut principia illa activa in singula quasi momenta exaltari, & ob id majus quærere spatium incipiant. Hinc capula dehiscit & disrumpi cogitur,

ut germini recenti (dem Kaymen) fores aperiantur patulæ. Quo facto sensim se ostendunt partes quædam futuri fruticis organicæ, Radicula nempe, & Lobi, qui tamen ex mente *Nehemiæ Grew* difficulter ob exilitatem sunt cognoscibiles. *Vid.* ejusdem *Anatom. Vegetab. c. 1.* Partibus itaque hisce aliisque organicis *Cynosbati* quotidiè mole auctis tenerrimus quidam caulis tandem è terræ latebris prosurgit, substantiæ mollioris, coloris gratè virideſcentis, secundùm omnes partes, quæ frutici debentur, absolutus, spinulisq; etiam, simul ac è terra prosiliit, stipatus. Et hic caulis eò magis expandi & in altum surgere nititur, quo magis abundat tùm alimento solido è terræ tubulis communicando, tum fluido aëreo poros ejus penetrante, & expansionem principiorum activorum adjuvante.

Interim dum hæc aguntur, Archeus, qui intus agit, variè vagatur per embryonem hunc vegetabilem, nunc latera versus, nunc sursum versus tendendo; cohibetur tamen ab aliis particulis crassioribus quodammodo, quas secum vehit, à nimiâ excursione, ne metam, seu terminum, quem natura sibi præfixum voluit, excedat. Sic lateraliter excurrens, cutim, corticem & alia format, summa petens ramos cum foliis, floribus, fructibus, perficere nititur,

titur, secum vehendo ad eorundem formationem particulas fluidiores & puriores, usque dùm pensum suum absolverit, & fruticitùm figuram, tùm magnitudinem debitam comparaverit. Quare, licet ab ulteriore quidem partium essentialium opere & formatione postmodùm cesset, tamen otiosus non est, sed pro augmentatione, fructificatione, conservationeque fruticis succum alibilẽ fermentat, volatilisat, recrementa per poros eliminat, fruticemque ab interitu sic præservare studet. Quin & ipse Archeus vegetabilis, ne tanto sub onere collabatur, refectione quadã opus habet, quã impetrat ex fluido illo aereo, partim per terræ tubulos, partim per poros cutaneos ab extra advehendo. Et hunc vegetandi actũ in *Cynosbati* frutice tàm diu perennat, usque dum ob defectum alimenti tum solidi, tum fluidi, marcor eandem occupet, atque adeò is ipse evanescere cogatur. De quibus plura in seqq.

ARTICULUS II.

De Forma Cynosbati.

SUMMARIA.

Figura Cynosbati variat. Alia enim est junioris, alia jam adultæ. Cynosbatos pertinet ad frutices. Rationes & Autoritates. Dioscorides notatur. *Fi-*

FIgura, quâ intuentibus se præsentat, sequens est. Scilicet, simulac terræ contubernium eluctata est, in stolonem primò, deinde in truncum justæ magnitudinis, eumque teretem, quoad cutim asperum, & spinis horridum, coloris ex viridiusculo ruffi, excrescit. Hinc rami sequuntur cum foliis virore diluto conspicuis, floribus ex albo-purpurascentibus, & fructibus rubentibus.

Quibus ita prælibatis, actutùm in oculos incurret, ad quodnam genus plantarum, an ad arborum, an fruticum &c. ordinem sit referenda *Cynosbatos* nostra. Ad arborum catalogum pertinere eam, nemo facilè dixerit, modò oculis usurpaverit *Cynosbatum* nostratem, quæ frequentius fruticosâ formâ apparet. Hinc ad fruticum stemma erit referenda rectius. De essentiâ enim & naturâ fruticis est, esse inter arborem & plantam quoddam quasi intermedium; itemque à radice plures emittere stipites, qui in multos posteà ramos disperguntur, autore *Spigelio Isagog. in rem herbar. l. 1. c. 14. p. m. 63.* Unde etiam Græcis dicitur frutex à βρύειν, h.e. à pullulando, quòd multis luxuriet stipitibus, asserente *Zaluzanio Meth. herb. l. 1. c. 31. p. m. 84.* Sic per experientiam quoque constat, assurgente uno *Cynosbati* stipite, complures dein-

deindè ſequi, & fœcundo proventu in tantum ſæpè excreſcere numerum, ut ſylvulam diceres quandam, vel Roſetum quoddam ſylveſtre.

In fruticum cenſu, ne autoritates deſint, reponunt etiam *Simon Pauli in quadripart. Bot. edit. primæ p. m. 33. Hartmannus in not. ad Crollii baſilic. chym. p. m. 432.* & recentiorum complures alii. Alia ut taceamus, quæ in contrariũ ex *Dioſcoride* afferri poſſent, quæ idem *Simon Pauli* l. c. ingenioſè conciliavit, quem vide.

Articulus III.

De loco natali Cynosbati.

SUMMARIA.

Patria Cynosbati eſt vel generalis, vel ſpecialis. Creſcit in & extra Germaniam. Communiter tamen ad ſepes, in dumetis, ſylvis &c. Paſſim proſtat ob uſum inſignem.

DUplicem *Cynosbati* locum natalem eſſe, unum generalem, ſpecialem alterum, ſequentia docebunt.

Generalem dicimus, quod non uni tantùm loco, ſeu regioni, ſeu diſtrictui ſit inquilina, & vernacula, ſicuti de pluribus plantarum generibus id prædicari ſolet, quod illîc quædam, hîc verò quædam felici-

Cynosbatos Major sive Arborescens



mox ad manus esset languentibus, & indigentibus.

Articulus IV.

De speciebus & differentiis Cynosbati.

SUMMARIA.

Cynosbatos triplicis generis est. Arborescens describitur. In Palæstina etiam cognita fuit. Fruticescens apud nos familiarissima. Pumila seu minor non ita frequens. Dantur plures Rosarum sylvestrium species, quæ tamen ad Cynosbatum non pertinent. Cynosbatos alia est sylvestris, alia hortensis. Explicatur. Differentia Cynosbati nostratis & arboreæ. Quomodo à Rosis sativis differat? Differt quoque ab aliis Rosarum sylvestrium speciebus. Differt etiam ratione fructuum Cynosbatos.

NOn unius esse generis *Cynosbatum*, tum Cl. virorum autoritates persuadebunt, tum experientia, rerum magistra, vel sponte suffragabitur. Hinc distinguenda veniet in tres ordines, ita, ut quædam ex iis dicatur *major*, quædam *media*, *minor* quædam. De singulis jam ordine videbimus.

Major, quæ potissimùm *Cynosbati* titulo venit, medio quasi loco se habet inter

arborem & fruticem, ceu ex *Dioscoride* & *Theophrasto* ostendit *Simon Pauli in Quadripart. Bot. cl. 2. p. m. 34.* Quandoque tamen ad eam assurgit proceritatem, ut arborescat, id quod *Zaluzanius meth. berb. p. m. 207.* observavit. Imò quandoque majoris videtur magnitudinis, ut, si *Tabernæmontano in berbar. l. 3. p. 1499.* credimus, ad pyri altitudinem excrescere dicatur. Hinc truncum habet robustum, ex mente ejusdem, ramos spinis acutis durisque obsitos, folia lævia, & profundè incisa, colore apium æmulantia, flores instar umbellæ, (wie ein Dolde) odoris suavissimi, quos baccæ seqvuntur per maturitatem rubescentes, molliores, dulcissimique saporis existentes, albis pariter referti nucleis. Radicem, pergit, esse divisam, & profundè in terram penetrantem; crescere in sylvis, dumetis & ad sepes. *Hæc ille.* Et hanc arboream *Cynosbatum* putaverim geminam esse illi, cujus in sacris *Libro Jud. cap. 9. verf. 14. 15.* mentio fit, quo loco *Cynosbatos* per prosopopœiam loquens ad arbores introducitur. Verba ita habent: *si seriò vos me creatis in Regem super vos, venite, obtegite vos umbrâ meâ; sin minus, exeat ignis ex Cynosbato, & absumat Cedros ipsas Libani.*

Medii generis *Cynosbatos* est, quæ fruticis figuram & magnitudinem per omnia exæ-

Cynosbatos Minor.



exæquat, quæque nostris in oris communissima, usuq; familiarissima est, foliis, floribus & fructibus inter arboream & minimam medium occupantibus locum.

Minor, seu pumila *Cynosbati* species est, quæ ad fruticis magnitudinem non adsurgit, sed simulac in stolones unius alteriusve spithamæ excreverit, mox in ramusculos dividitur, hinc in folia, flores & fructus abitura. Cujusmodi speciem videas quandoque in locis saxosis, aliisque ob sterilitatem infamibus pullulare.

Sunt equidem complures *Cynorrhodi* species, quas recensent *Caspar Bauhinus Catalog. plant. Basil. p. m. 112. Spigelius Catalog. plant. Lugdunens. Zaluzanius method. herb.* l. c. *Dodonæus stirp. hist. pempt. 2. l. 1. p. 187.* ubi decem numero esse easdem, sed in his unicam saltim, quæ rosæ caninæ nomine venit, ex *Ruellio* refert. Verùm enim verò, cùm, rectè etiam monente *Bauhino* l. c. aliæ non dicantur caninæ, nec spongiolas ferant, hinc easdem hoc loco nostras non facimus.

Sic nec indictum abibit, quod ex *Cynosbato* quædam sit *sylvestris*, quædam sativa & *hortensis*. De sylvestri per totum hoc opusculum hactenus egimus, fusiusque acturi quoque sumus. Hortensis, quam *Dresdæ* videre contigit, à sylvestri differt in

hoc, quòd folia longè majora, fructus itidem grandiores, eosdemque exactè rotundos, & copiosis arillis stipatos ferat, quòd in superficie spinulis benè multis horreat. Quoad magnitudinem autem stipitis alioquin nihil peculiare observavimus.

Differt *Cynosbatos* nostra vulgaris fruticosa ab arborescente (1) quòd arborea longè procerior, (2) quòd folia longè latiora explicet; (3) quòd flores singularis quoque figuræ exhibeat, & (4) quòd fructus ferat rotundos.

A *Rosis sativis* discrepat tùm ratione loci natalis, qui sylva, dumeta & sepes sunt; tum ratione florum, qui nostris simplices, illis verò pleni cernuntur. Addimus & odorem, qui in sativis fragrantior longè observatur.

Differt quoque ab aliis *Rosarum sylvestrium* speciebus (1) quòd ad eam, quâ *Cynosbatos*, non adscendant molem. (2) Quòd flores earundem non ita sint odorati. (3) Quòd fructus tales, spongiolasque non ferant, qualis nostra fert *Cynosbatos*.

Sic differentia quoque intercedit ipsis ratione *fructuum* (1) *ratione magnitudinis*; nam quidam ex illis visuntur grandiores, ceu hortenses; quidam mediæ magnitudinis, sicuti sylvestrium nonnulli, qui locis pinguioribus nascuntur; quidam mi-

nores

nores, quemadmodum illi qui locis sterilibus proveniunt. (2) *Ratione figuræ.* Sunt enim nonnulli ex iis exactè rotundi & globosi, ut hortenses & sylvestrium quædam; nonnulli autem oblongi, qui communissimi sunt.

De *differentiis spongiolarum* infra habebimus.

Articulus V.

De ætate Cynosbati.

SUMMARIA.

Sylvestres plantæ dicuntur longæviores hortensibus. Cynosbati ætas quæ? diu vivit illa. Ratio. Differt tamen à quercus & pini longævitate. Quomodo arte longævitas plantarum possit conciliari? Experimenta varia adducuntur. Quid sentiendum de cruore Rosarum radicibus affuso.

An ætatem ferre, & præsentiâ suâ plurium annorum gaudia augere queat *Cynosbatos*, breviter quoque dispiciemus. *In genere* si respondendum sit ex *Jo. Bapt. Porta Phytognom. l. 2. p. m. 125.* sylvestres plantas sativis esse longæviores; si cum *Quercetano* sentiendum sit, *d. prisc. medic. p. m. 84.* illas plantas maximè & vigere & vivere, quæ plurimum florent, vivacitatem *Cynos-*

LIBER II. PHYSIOLOGICUS.

CAPUT I.

De Vegetatione Cynosbati in genere.

ARTICULUS I.

De Modo Vegetationis.

SUMMARIA.

Herbæ tum naſcentes, tum adultæ debent examinari. Semina plantarum ova ſunt. Semen in terra primùm maceratur, poſteà lacteſcit, deinde germinare incipit, hinc organa capeſſit, & demùm in folia, flores, fructus &c. maturatur.

DE *Vegetatione Cynosbati* acturis in mentem venit, quod literis conſignavit *Zaluzanius Meth. herb. l. 1. c. 12. p. m. 25.* cùm ait, *ſi cui in animo eſt plantarum peritiam aſſequi, eum oportere primâ generatione ſolo emergentes, adultas & ſeneſcentes contemplari. Nam ſi pullulanti herbæ duntaxat adſtiterit, adultam cognoſci non poſſe, neque ſi adultam tantùm inſpexerit, nuper erumpentem noſciturum.*

Quo nomine & nos rem ab ovo, quod dicitur, auſpicabimur, ſemina *Cynosbati* pariter

riter & aliarum plantarum nil nisi ova esse, sano tamen ubique sensu, ad veterum mentem asserentes, in quibus totius plantæ idea, sive configuratio cum omnibus ejus qualitatibus & organis, ceu in compendio conclusa, delitescunt, tùm ab interno suo motore, tùm ab externo solari calore evolvenda, & in actum deducenda.

Quare semen *Cynoshati* terræ matrici commissum, postquam per aliquot mensium spatia in ejusdem gremio embryonis instar delituit, per ista tempora sensim à liquore terræ aqueo maceratur (wird eingeweichet) unde semen posteà evadit mollius, pori ejusdem magis magisque dilatantur, totumque corpusculum mole augetur. Dùm hæc fiunt, Archeus seminalis internè, ne otiosus sit, laxatis sic totius habenis, sensim fit sui juris, hinc liberius agit in materiam substratam, & rudimenta germinationis quædam ponit. Priusquam verò germinatio quædam fit conspicua, tota seminalis massa, quæ intra capsulam continetur, quasi lactescit, (lieget in der Milch) qui ipse actus nihil aliud, quàm inchoatam quandam liquoris seminalis turgescentiam denotat, per quam fit, ut principia illa activa in singula quasi momenta exaltari, & ob id majus quærere spatium incipiant. Hinc capula dehiscit & disrumpi cogitur, ut

ut germini recenti (dem Kaymen) fores aperiantur patulæ. Quo facto sensim se ostendunt partes quædam futuri fruticis organicæ, Radicula nempe, & Lobi, qui tamen ex mente *Nehemiæ Grew* difficulter ob exilitatem sunt cognoscibiles. *Vid.* ejusdem *Anatom. Vegetab. c. 1.* Partibus itaque hisce aliisque organicis *Cynosbati* quotidiè mole auctis tenerrimus quidam caulis tandem è terræ latebris prosurgit, substantiæ mollioris, coloris gratè viridescentis, secundùm omnes partes, quæ frutici debentur, absolutus, spinulisq; etiam, simul ac è terra prosiliit, stipatus. Et hic caulis eò magis expandi & in altum surgere nititur, quo magìs abundat tùm alimento solido è terræ tubulis communicando, tum fluido aëreo poros ejus penetrante, & expansionem principiorum activorum adjuvante.

Interim dum hæc aguntur, Archeus, qui intus agit, variè vagatur per embryonem hunc vegetabilem, nunc latera versus, nunc sursum versus tendendo; cohibetur tamen ab aliis particulis crassioribus quodammodo, quas secum vehit, à nimiâ excursione, ne metam, seu terminum, quem natura sibi præfixum voluit, excedat. Sic lateraliter excurrens, cutim, corticem & alia format, summa petens ramos cum foliis, floribus, fructibus, perficere nititur,

titur, secum vehendo ad eorundem formationem particulas fluidiores & puriores, usque dùm pensum suum absolverit, & frutici tùm figuram, tùm magnitudinem debitam comparaverit. Quare, licet ab ulteriore quidem partium essentialium opere & formatione postmodùm cesset, tamen otiosus non est, sed pro augmentatione, fructificatione, conservationeque fruticis succum alibilẽ fermentat, volatilisat, recrementa per poros eliminat, fruticemque ab interitu sic præservare studet. Quin & ipse Archeꝰ vegetabilis, ne tanto sub onere collabatur, refectione quadã opus habet, quã impetrat ex fluido illo aereo, partim per terræ tubulos, partim per poros cutaneos ab extra advehendo. Et hunc vegetandi actũ in *Cynosbati* frutice tàm diu perennat, usq; dum ob defectum alimenti tum solidi, tum fluidi, marcor eandem occupet, atque adeò is ipse evanescere cogatur. De quibus plura in seqq.

ARTICULUS II.

De Forma Cynosbati.

SUMMARIA.

Figura Cynosbati variat. Alia enim est junioris, alia jam adultæ. Cynosbatos pertinet ad frutices. Rationes & Autoritates. Dioscorides notatur. *Fi-*

FIgura, quâ intuentibus se præsentat, sequens est. Scilicet, simulac terræ contubernium eluctata est, in stolonem primò, deinde in truncum justæ magnitudinis, eumque teretem, quoad cutim asperum, & spinis horridum, coloris ex viridiusculo ruffi, excrescit. Hinc rami sequuntur cum foliis virore diluto conspicuis, floribus ex albo-purpurascentibus, & fructibus rubentibus.

Quibus ita prælibatis, actutùm in oculos incurret, ad quodnam genus plantarum, an ad arborum, an fruticum &c. ordinem sit referenda *Cynosbatos* nostra. Ad arborum catalogum pertinere eam, nemo facilè dixerit, modò oculis usurpaverit *Cynosbatum* nostratem, quæ frequentius fruticosâ formâ apparet. Hinc ad fruticum stemma erit referenda rectius. De essentiâ enim & naturâ fruticis est, esse inter arborem & plantam quoddam quasi intermedium; itemque à radice plures emittere stipites, qui in multos posteà ramos disperguntur, autore *Spigelio Isagog. in rem herbar. l. 1. c. 14. p. m. 63.* Unde etiam Græcis dicitur frutex à βρύειν, h.e. à pullulando, quòd multis luxuriet stipitibus, asserente *Zaluzanio Meth. herb. l. 1. c. 31. p. m. 84.* Sic per experientiam quoque constat, assurgente uno *Cynosbati* stipite, complures

dein-

deindè ſequi, & fœcundo proventu in tantum ſæpè excreſcere numerum, ut ſylvulam diceres quandam, vel Roſetum quoddam ſylveſtre.

In fruticum cenſu, ne autoritates deſint, reponunt etiam *Simon Pauli in quadripart. Bot. edit. primæ p. m. 33. Hartmannus in not. ad Crollii baſilic. chym. p. m. 432.* & recentiorum complures alii. Alia ut taceamus, quæ in contrariũ ex *Dioſcoride* afferri poſſent, quæ idem *Simon Pauli* l. c. ingenioſè conciliavit, quem vide.

Articulus III.

De loco natali Cynosbati.

Summaria.

Patria Cynosbati eſt vel generalis, vel ſpecialis. Creſcit in & extra Germaniam. Communiter tamen ad ſepes, in dumetis, ſylvis &c. Paſſim proſtat ob uſum inſignem.

Duplicem *Cynosbati* locum natalem eſſe, unum generalem, ſpecialem alterum, ſequentia docebunt.

Generalem dicimus, quod non uni tantùm loco, ſeu regioni, ſeu diſtrictui ſit inquilina, & vernacula, ſicuti de pluribus plantarum generibus id prædicari ſolet, quod illîc quædam, hîc verò quædam feli-

lici-

licius, crescant. Minimè. Sed invenire licebit *Cynosbatum* per universam propè *Germaniam*, omnesque ejus tractus, ita, ut vix reperias agellum, vel dumetum, ad quorum ora non adolescat *Cynosbatos*. Sic familiaris quoque est aliis nostra *Cynosbatos* locis. *Belgio* familiarissimam eam esse autor est *Dodonaeus stirp. histor. pemptad. 2. l. 1. p. 187.* Nec *Angliam*, nec *Galliam*, &c. ejusdem praesentiâ carere, praeter fidem iter illic locorum facientiũ, etiam probant quaedam medicorum monumenta, ex quibus luculentissimè patebit, *Cynosbatum* & apud eos nasci, & ejusdem medicamenta ipsis esse usualia. In Palaestina *Cynosbatum*, eamque arborescentem praestò esse sacrae paginae *Libro Jud. cap. 9. vers. 14. 15.* sufficientissimè edocebunt.

Specialis erit, quòd *Cynosbatos* frequentissimè in aggeribus, viarum & agellorum confiniis, sepibus, sylvis aliisque locis incultis reperiri soleat. Et hoc optimo naturae providae consilio, quae noluit medicamentosam hanc, addo & alimentosam arbusculam, abjectissimam licet, homines latere, vel ejusdem vires largissimas iis invidere. Unde etiam factum, ut ob multiplices ejus facultates à curiosis Oeconomis vel in hortos, vel ad sepes eorum fuerit introducta, quò & laetior sic cresceret, &

mox

Cynosbatos Major sive Arborescens



mox ad manus esset languentibus, & indigentibus.

ARTICULUS IV.

De speciebus & differentiis Cynosbati.

SUMMARIA.

Cynosbatos triplicis generis est. Arborescens describitur. In Palæstina etiam cognita fuit. Fruticescens apud nos familiarissima. Pumila seu minor non ita frequens. Dantur plures Rosarum sylvestrium species, quæ tamen ad Cynosbatum non pertinent. Cynosbatos alia est sylvestris, alia hortensis. Explicatur. Differentia Cynosbati nostratis & arboreæ. Quomodo à Rosis sativis differat? Differt quoque ab aliis Rosarum sylvestrium speciebus. Differt etiam ratione fructuum Cynosbatos.

NOn unius esse generis *Cynosbatum*, tum Cl. virorum autoritates persuadebunt, tum experientia, rerum magistra, vel sponte suffragabitur. Hinc distinguenda veniet in tres ordines, ita, ut quædam ex iis dicatur *major*, quædam *media*, *minor* quædam. De singulis jam ordine videbimus.

Major, quæ potissimum *Cynosbati* titulo venit, medio quasi loco se habet inter ar-

arborem & fruticem, ceu ex *Dioscoride* & *Theophrasto* ostendit *Simon Pauli in Quadripart. Bot. cl. 2. p. m. 34.* Quandoque tamen ad eam assurgit proceritatem, ut arborescat, id quod *Zaluzanius meth. berb. p. m. 207.* observavit. Imò quandoque majoris videtur magnitudinis, ut, si *Tabernamontano in herbar. l. 3. p. 1499.* credimus, ad pyri altitudinem excrescere dicatur. Hinc truncum habet robustum, ex mente ejusdem, ramos spinis acutis durisque obsitos, folia lævia, & profundè incisa, colore apium æmulantia, flores instar umbellæ, (wie ein Dolde) odoris suavissimi, quos baccæ seqvuntur per maturitatem rubescentes, molliores, dulcissimique saporis existentes, albis pariter referti nucleis. Radicem, pergit, esse divisam, & profundè in terram penetrantem; crescere in sylvis, dumetis & ad sepes. *Hæc ille.* Et hanc arboream *Cynosbatum* putaverim geminam esse illi, cujus in sacris *Libro Jud. cap. 9. vers. 14. 15.* mentio fit, quo loco *Cynosbatos* per prosopopœiam loquens ad arbores introducitur. Verba ita habent: *si seriò vos me creatis in Regem super vos, venite, obtegite vos umbrâ meâ; sin minus, exeat ignis ex Cynosbato, & absumat Cedros ipsas Libani.*

Medii generis *Cynosbatos* est, quæ fruticis figuram & magnitudinem per omnia

exæ-

Cynosbatos Minor.



exæquat, quæque nostris in oris communissima, usuq; familiarissima est, foliis, floribus & fructibus inter arboream & minimam medium occupantibus locum.

Minor, seu pumila *Cynosbati* species est, quæ ad fruticis magnitudinem non adsurgit, sed simulac in stolones unius alteriusve spithamæ excreverit, mox in ramusculos dividitur, hinc in folia, flores & fructus abitura. Cujusmodi speciem videas quandoque in locis saxosis, aliisque ob sterilitatem infamibus pullulare.

Sunt equidem complures *Cynorrhodi* species, quas recensent *Caspar Bauhinus Catalog. plant. Basil. p. m. 112. Spigelius Catalog. plant. Lugdunens. Zaluzanius method. herb.* l.c. *Dodonæus stirp. hist. pempt. 2. l. 1. p. 187.* ubi decem numero esse easdem, sed in his unicam saltim, quæ rosæ caninæ nomine venit, ex *Ruellio* refert. Verùm enim verò, cùm, rectè etiam monente *Bauhino* l.c. aliæ non dicantur caninæ, nec spongiolas ferant, hinc easdem hoc loco nostras non facimus.

Sic nec indictum abibit, quod ex *Cynosbato* quædam sit *sylvestris*, quædam sativa & *hortensis*. De sylvestri per totum hoc opusculum hactenus egimus, fusiusque acturi quoque sumus. Hortensis, quam *Dresdæ* videre contigit, à sylvestri differt in

hoc, quòd folia longè majora, fructus itidem grandiores, eosdemq; exactè rotundos, & copiosis arillis stipatos ferat, quòd in superficie spinulis benè multis horreat. Quoad magnitudinem autem stipitis alioquin nihil peculiare observavimus.

Differt *Cynosbatos* nostra vulgaris fruticosa ab arborescente (1) quòd arborea longè procerior, (2) quòd folia longè latiora explicet; (3) quòd flores singularis quoque figuræ exhibeat, & (4) quòd fructus ferat rotundos.

A *Rosis sativis* discrepat tùm ratione loci natalis, qui sylva, dumeta & sepes sunt; tum ratione florum, qui nostris simplices, illis verò pleni cernuntur. Addimus & odorem, qui in sativis fragrantior longè observatur.

Differt quoque ab aliis *Rosarum sylvestrium* speciebus (1) quòd ad eam, quâ *Cynosbatos*, non adscendant molem. (2) Quòd flores earundem non ita sint odorati. (3) Quòd fructus tales, spongiolasq; non ferant, qualis nostra fert *Cynosbatos*.

Sic differentia quoque intercedit ipsis ratione *fructuum* (1) *ratione magnitudinis*; nam quidam ex illis visuntur grandiores, ceu hortenses; quidam mediæ magnitudinis, sicuti sylvestrium nonnulli, qui locis pinguioribus nascuntur; quidam minores

nores, quemadmodum illi qui locis sterilibus proveniunt. (2) *Ratione figuræ.* Sunt enim nonnulli ex iis exactè rotundi & globosi, ut hortenses & sylvestrium quædam; nonnulli autem oblongi, qui communissimi sunt.

De *differentiis spongiolarum* infra habebimus.

Articulus V.

De ætate Cynosbati.

SUMMARIA.

Sylvestres plantæ dicuntur longæviores hortensibus. Cynosbati ætas quæ? diu vivit illa. Ratio. Differt tamen à quercus & pini longævitate. Quomodo arte longævitas plantarum possit conciliari? Experimenta varia adducuntur. Quid sentiendum de cruore Rosarum radicibus affuso.

AN ætatem ferre, & præsentiâ suâ plurium annorum gaudia augere queat *Cynosbatos*, breviter quoque dispiciemus. *In genere* si respondendum sit ex *Jo. Bapt. Porta Phytognom. l.2.p.m.125.* sylvestres plantas sativis esse longæviores; si cum *Quercetano* sentiendum sit, *d. prisc. medic. p.m.84.* illas plantas maximè & vigere & vivere, quæ plurimum florent, vivacitatem *Cynos-*

bato denegare haut poterimus. *In ſpecie*, ſi de ætate *Cynosbati* loqui velimus, & rationem & experientiam, quarum utraque pro vivacitate illius militabit, habebimus conſentientem. Sic ratio dictitabit, *Cynosbatum* eſſe ex eorum genere, qui ſunt ſalinæ proſapiæ ex prædominio, atteſtante id curioſâ ejusdem per pyrotechniam anatome, applaudente etiam ipſomet effectu, quem in medicina præſtat. Hinc ſi conſideraverimus, ſalini quæ ſunt principii, non ita eſſe caduca: ſi noverimus vegetabilium texturam firmiorem plurimùm quoque ad diuturnitatem conferre, hinc nihil obſtabit, quò minùs & *Cynosbato* longævitatem quandam adſcribamus. Experientiam ſi conſulimus, liquidò conſtabit, *Cynosbati* fruticem per multorum annorum decurſus, niſi vis acceſſerit quædam externa, vivere, & licet aliquando uno eodemq; ſtipite perire videatur, mox tamen ex radicib9, tanquàm novos Phœnices ex cineribus, nova poſtliminiò propullulare germina, novos præſentari ſtolones in morientium vices ſuccedentes, & tanquàm filios de matre conteſtantes, videbimus. Quâ tamen aſſertione adeò abſurdi non erimus, ut tantum annorum numerum *Cynosbato* adſcribi velimus, quantô vel annoſa *quer-*

cus

tus vel perpetuâ comâ virens *pinus* gaudent; ambo emori ferè nesciæ.

Diximus huc usque de *Cynosbati* longævitate, Naturæ ductu quæ promovetur. Vitio autem nobis haut, speramus, vertetur, si pariter monstraverimus, & *Artis* adminiculo posse eandem ad plurium annorum periodos promoveri. Docuit id jamdudum *Paracelsus* libro de arcanis inscripto *p.m.47.* quo loco, *ait*, si planta in radicibus suis arcano primæ suæ materiæ tingatur imprægneturque, fore, ut ea putredini haut sit obnoxia, sed ad alterum usque annum virescat, vigescat. Alii à *Rore Majali* hoc beneficii expectandum petendumque esse censent. Hinc Sal volatile Roris cum Sale volatili plantæ conjungunt, resolvunt, resolutumque ita radicibus plantæ, cujus Sal illud volatile est, affundunt, & miram indè fæcunditatem promittunt. Vide *B. D. Sultzbergeri disput. d. Rore microcos. in proœmio. Glaubero* arcanorum Spagyricorum ille promuscondus, *libro continuatio miraculi mundi, inscripto, p. m. 267.* pro negotio hocce impetrando commendat aurum suum potabile, seu aquam medicinalem, radicibus plantarum affusam, quam tantarum dicit virium, ut ad citiorem augmentationem, majoremque facultatum impetrationem eas queat promovere. Cui,

pergit, aquæ medicinali si addas fermentum aliquod metallicum, seu ☉lare, seu ☽nare, fore, ut herbæ de eodem quoque participent. Neque dubitandum esset, si quis liquorem illum alcalinum balsamicum, (cujus meminit *Anonymus in experimentis med. Dygbæan. tom. 1. in append. p. m. 201.* Clarius verò ipse *Dygbæus d. veget. plant. p. m. 44 & seqq.* ubi plantas jamjam emorituras posse redintegrari per affusionẽ succi balsamici & salini cujusdam, & fæcundari dicit) radicibus *Cynosbati*, aliorumve vegetabilium affunderet, de mira tùm fæcunditate, tùm longævitate eorundem. Sic nec malè faciunt, qui Rosarum sativarum radicibus eâ intentione, ut flores ex albo-purpurascentes, seu incarnatos reddant, affundunt cruorem animalium calentem, præterquàm quòd ignorant, præter illam coloris varietatem, quam cruentâ hac impregnatione radices impetrant, & aliud subesse arcanum in cruore, nempè sal quoddam balsamicum, quod in terræ poros receptum, atque ab humido naturæ solutum, per radices toti communicatur stemmati, idque & lætius & liberalius germinare facit eodem.

CAPUT II.

De Vegetatione Cynosbati in specie.

ARTICULUS I.

De Radice Cynosbati.

SUMMARIA.

Triplici modo Cynosbatos radices impetrat. Quæ substantia radicum Cynosbati? Usus earundem. Figura variat. Cynosbatos multis gaudet radicibus. Non habent spinas radices. Color radicum. Quomodo succus nutritius per radices ad truncum &c. pertingat? An per suctionem, vel singularem pororum constitutionem, vel pulsionem &c. Explicatur. Sententia singularis. Decisio. Aëris necessitas pro plantarum vegetatione.

TRiplici ratione *Cynosbatos* radice sua gaudet: *Unâ*, quando ex semine ejus, in quo tanquam ovo totius fruticis idea deposita fuit, natales suos adsequitur. *Alterâ*, quando ex antiqui stipitis radice *Cynosbatos* nova exsurgit, ubi communem habet radicem cum vetustiore *Cynosbato*. *Tertiâ*, quando surculis *Cynosbati* terræ ad germinationem commissis de novo accrescunt fibrillæ, successu temporis in radices abituræ majores.

Substantia radicum *Cynosbati* in adultioribus, & annos expertis erit lignosa, prædura,

dura, intus medullari carne repleta, extus verò cutaneâ & corticosâ substantiâ, quæ & ipsa satis densa & aspera, non tamen spinosa, est circumdata, eo fine à natura facta, ut tùm frutici sit roboris instar, seu fulcimenti, ne vel ventorũ flabris, vel aliâ quadã injuriâ queat lædi; tùm ut trunco cum reliquis ejusdem membris sit quasi pro ore, ut fibrillarum osculis succum attrahat, & in reliquas fruticis partes hinc distribuat.

Figura radicis *Cynosbati* non una est, sed variat pro diversitate *Cynosbati* germinantis. Si ex surculis propagatio ejusdem fit, radices primo sunt exiguæ molis, fibrillas æmulantes, perinde etiam, quæ ex semine oriuntur. Sic quæ ex quodam radicum quasi hiatu oriuntur, ceu suprà dictum, mox radices impetrant in cunabulis suis sat magnas. Ita & adultæ *Cynosbata* majores, lateque patentes sunt radices.

Pari ratione & *Cynosbato* non una est radix; sed numerosa. Unde quædam satis magnæ sunt, quædam verò ex iis procedentes, minusculæ, & circa extremitates in fibras desinunt.

Peculiare quid etiam habent præ trunco & ramis, quod spinis destituantur, ita, ut ne minima earundẽ vestigia ullibi in eis appareant, licet radicibus cum trunco ratione

tione cutaneæ, corticosæ &c. substantiæ, una eademque sit origo.

De colore radicum *Cynosbati*, quæ moneamus, pauca habemus, nempè quòd extima radicum facies communiter appareat colore russo; sicuti & corticosam substantiam eodem colore egregiè & ad satietatem tinctam non ita pridem vidimus. Interna verò & lignosa substantia videbitur albicans, & medullaris paulò obscurior.

Occasione succi nutritii, quem è terræ tubulis per radicum ora velut attrahi diximus, sciscitari lubet, quomodo succus iste ad *Cynosbatum* pertingat, dispenseturque; An per modum suctionis? An ob fugam vacui? An per fibrarum singularem positum? An per pulsionem? &c.

Suctioni favere possent, (1) quod impossibile sit, ut solo appulsu succi nutritii tanta ejus copia posset in poros corticis penetrare, quanta toti stirpi suffectura sit, maximeque, arbor si fuerit procera. (2) Videmus in *Betula*, quod, licet aliis arboribus à latere sit, & in uno sæpè confinio crescat, nihilominùs succo abundare præ aliis cernatur. Examina namque mense Aprili betulam, wenn der Safft läufft/ & attende ejus copiam. Explora quoque in vicinia alias arbores, & experiens longè minos

minorem ſucci in illis præſentiam, licet & majora & copioſiora poſſideant organa, magisq́ ſucco vehendo idonea. Exemplo quoque ſunto plantæ in uno eodemq́ ſæpè pulvinari ſatæ, quarum altera feliciter creſcit, altera verò decreſcit & marcida perit. Sunt namque quædam plantæ inſtar prædonum, quæ alteri ſuccum quaſi præripiunt & ſuffurantur, ceu *linum, braſſica* &c. Sic *Sylveſter Rattray Sympath. & Antipath p.m.* 17. fruges ad ſalicta non creſcere itemq́ vitem braſſicæ adſociatam marceſcere adnotavit. (3) Ita per experientiã œconomicam conſtat, truncos ſalicis, priusquam terræ committuntur, in aqua prius macerari, daß ſie anziehen. Sic ſurculi ceraſorum hyeme aquæ committuntur pro efflorеſcentia, qui multum ſic aquæ abſorbent, id quod ex facta aquæ menſuratione obvium ſatis eſt. Plura ut taceamus exempla. Sic nullum in aqua videbis movens, cujus ope in plantam ea ipſa diſpenſaretur. Annè igitur ſuctio admittenda?

Quo ipſô nec improbamus *pororum* ſeu amplitudinem, ſeu multitudinem, ſeu poſitum, quorum beneficio fit, ut ſuccus nunc copioſius, nunc parcius plantis communicetur. Hinc etiam ratio petenda, cur ſalix, rapum &c. nempè ob pororum hiatum, avidius aſſumant ſuccum præ aliis. Concipe namque, ſis, lintea, vel pannos,

quò

quò enim magis invicem distent eorum pori, fibræ & interstitia, eò magis aquam attrahent, eamque retinebunt, præsertim si aqua cum viscositate quadam sit conjuncta, (id quod *D. D. Reiselio in Ephemerid. Germ. Anno VIII. observ. 98.* placet;) vice versa, quò arctiore sint combinata nexu, ut in funibus &c. eò difficilius aquam admittent.

Nec excludimus hac assertione nostra *pulsionis* modum, quô succus posterior trudit priorem, ita ut prior sursum ferri cogatur, modò sano id fiat sensu. Tanta namque succi copia in terra non concipienda est, quanta aquæ in hydraulicis, ubi tùm copiâ, tùm impetu negotium succedit. Fit tamen, ut fibrarum interstitia nihilominùs succo turgeant, alterque alterum quasi pellat, cohibeatque ob viscositatem suam, seu lentorem, ne postliminiò retrocedat, sed in competentia dispensari queat loca.

Restat alius modus, quò succi fiat in plantas dispensatio, nempè calor Solis, qui succum & elevare, & ascendere facit ex mente *Jo. Bapt. Denis Conferent. 1. An. 1672. d. veget. plant.* citante hoc *D. D. Reiselio* l. c. Hinc per interstitia fibrarum in arboribus adscendere, pergit, succum veluti per lacineæ laneæ filamenta, aut poros panis, ita, ut qui in æstate & vere adscenderit, fri-

gore

gore ſubſequente condenſetur in tunicas. Vid. illum.

An rectius putandum, ſuccum plantis communicari eo modo, quo terra arida pluviam in ſe abſorbet ex appetentia humidi, & ob fugam vacui? An opinandum, cùm ad omnem motum requiratur movens, aërem telluri incluſum rapere ſecum particulas humidas, easque per poros corticoſæ ſubſtantiæ &c. in ſtipitem totum expandere? ſicuti neceſſitatem, ejusque ſufficientiam pro germinatione plantarum curioſè demonſtravit *D. D. Jo. Bohnius d. aëris in ſublunaria influxu p. m. 16.* quô loco ex *Malpighio* & *N. Grew* docet, aërem per fiſtulas plantarum ſpirales quaslibet earum partes penetrare, & motum inteſtinum localemque ſuccorum juvare. Sic *D. D. Pechlinus meditat. d. aëris & alimenti defect. p. m. 6. & ſeqq.* Aër, inquit, partem vegetabilis tàm neceſſariam conſtituit, ut ne quidem expanſio ulla absque hoc principio concipi poſſit. Quam aëris ad vegetabilium geneſin neceſſitudinem quoque olim obſervavit *Zaluzanius method. herb. p. m. 16.* cùm aërem humo miſtum præbere vaporatum quendam humorem, & alimoniam idoneam ſcribit.

AR-

Truncus Cynosbati junior.



ARTICULUS II.

De Trunco Cynosbati ejusque partibus.

SUMMARIA.

Quid truncus denotet. Ejus ortus. Germinationis modus. Sensim adolescit. Trunci junioris figura. Partes trunci duplices sunt. Describitur cutis, cortex & lignum. Sententia Autoris de lignosa substantia. Spinæ infra examinantur. Medulla unde dicta? copiosa est in Cynosbato. Color ejusdem. Unde oriatur? Sententia singularis. An sit adeò necessaria pro plantæ vegetatione? Afferuntur argumenta pro & contra. Rami Cynosbati quid? Eorum germinatio. Divisio. Ramorum prope radices figura. Spina Cynosbati. Rosa sine spinis. Spinæ duplices sunt. Substantia spinarum quæ? Dioscorides corrigitur. Alia juniorum, alia adultarum est substantia. Quomodo nutriantur spinæ? Figura earundem. Color earum variat. Multitudo spinarum in Cynosbato. Elegans spinarum positus in Cynosbato. Quæ origo spinarum? Spinæ sunt necessariæ Cynosbato. Modus nascendi spinarum quis? Cur mucronatæ sint? Sententia quorundam & Autoris.

DE *Trunco*, sive, quod nonnullis placet, stipite *Cynosbati* dicendum quoque erit.

erit. Significat autem illam fruticis partem, quæ derelictis terræ, cui mancipatus erat, claustris, in sublime efferri nititur, & licet instar tenerrimi primò caulis sit, sensim tamen in justæ magnitudinis assurgit fruticem.

Ortum communiter trahit ex ipso *Cynosbati* semine, in quo secundum omnes partes primò delituit, mole licet exiguus, nec sub sensum visus facilè cadens, usque dùm singulis seminis particulis in singula veluti momenta crescentibus & ipse crescere, & cœli cupidus extra terræ gremium propullulare incipit. Simulac enim terræ matricem eluctatur tenerrimus *Cynosbati* embryo, mox & spinulis suis, cæterisque partibus, cuticulâ, corticosâ, lignosâ & medullari substantiâ sese præbet instructum, ita tamen, ut in altum surgendo non faciat saltum, sed observatis veluti quibusdam intervallis, nunc hanc, nunc illam particulam in germinatione absolvat. Sicuti nos vidimus in ejusmodi juniore *Cynosbati* caule naturam hanc ivisse viam, scilicet, quam primùm pars quædam absoluta fuerit perfectè, mox in ejus summitate conspiciebatur alterius partis rudimentum sub forma foliorum conglomeratorum, quorum tamen externa fuerunt quasi spuria, cùm crescentibus internis, & in figuram cauli

for-

formem rotundam abeuntibus, deciderint, & sub se spinulas binas instar gemellorũ, cum gemmula quadam mediô inter has locô reliquerint. Quâ germinandi, & in altum evehendi caulem methodô natura tamdiu uti visa mihi est, usque dûm summitates caulis in folia & ramusculos erumperent.

Partes, in quas per anatomen curiosam dividitur *truncus*, erunt vel *externæ*, in oculos actutùm incurrentes; vel *internæ* sub cuticula adhùc reconditæ. In *externis* sese offerunt primò *Cutis*; quæ juniori *Cynosbato* est tenerrima, molliuscula, grateque viridescens: adultioribus verò ob rugosas fibras, spinarumq; aculeos aspera, coloris ruffi. De spinis mox speciatim acturi sumus. Remota cuticulâ, *corticosa Cynosbati substantia* in conspectum venit, quæ semper grato se commendat virore, & corpus lignosum constanti veste munit, per totum trunci ramorumq; compagem videnda, & ratione ortus gemina illi, quæ radices ambit. Quam corticosam *Cynosbati* partem cultello in multas fibrillas dividere poteris, lanæ instar carminatæ, consimilem in modum, quô cortex sambuci interior, viridiusculus nempè, pro usu medico radi solet.

Sequitur *pars Cynosbati lignosa*, firmamentum quasi præbens corpori, ut seipsum

ſuſtentare valeat, alienaque non indigeat baſi. Quæ lignoſa ſubſtantia, examine, tùm per microſcopium, tùm per mechanicam inſtituto, non eſt corpus quoddam continuum, imperviumque, ſilicum inſtar; ſed fibroſum, ſed poroſum, ita, ut ſucco nutritio per eandem vehendo juſtum ubiq; pateat ſpatium. Eſt, me opinante, lignoſa hæc *Cynosbati* ſubſtantia nihil aliud, quàm multitudo fibrarum in unum quaſi corpus coacta, perinde ac ſi quis plura filamenta, ceu in opificio reſtiariorum fieri conſuevit, variè fortiterque torquendo in funem, ſive reſtim cogat, prælerquam quòd poſitus fibrarum in *Cynosbato* magis obſervetur lineis rectis, quàm diſtortis & obliquis. Et hæ fibræ ita prolongatæ connexæque facilè ſe ab aliis ſecundum longitudinem divelli patiuntur, laſſen ſich ſchleiſſen/ & per harum fibrarum novam acceſſionem truncus mole etiam augeri, rubuſtiorque evadere ſolet.

Medulla, quaſi dicas pars trunci media illa, in centro trunci medium occupat locum. Copioſa exiſtit in *Cynosbato*, & à radicum extremitatibus per totum trunci corpus ad ramuſculorum extremitates uſque protenſa cernitur. Ubique quidem ratione ſubſtantiæ, quæ candida, quæ ſpongioſa eſt, eâdem apparet facie; in ramu-

muſculis tamen & tenerior & poroſior exiſtit.

Ratione ortus ſpectata, mox rudimenta nanciſcitur ſua in ipſo ſemine unà cum cæteris partibus eſſentialibus. Generatur ex principio fluido, ſeu aëreo cum quadam viſcoſitate conjuncto. Ne gratis hæc dixiſſe videamur, conſidera quæſò medullæ ſubſtantiam, perpende ejus poros ſat numeroſos; quid aliud inde efficietur, quàm medullare hoc corpus ex partibus conſtare aëreis magisque volatilibus, eſſeque id ipſum nihil aliud, quàm multarum bullularum in corpus pyramidale collectionem, quâ bulla bullam quaſi ſequitur, omneq; aëreũ, quod præſtò eſt, in bulloſam ſpumam abit, ceu patet ex mechanicis, cùm ex tubulo per attractionem aquæ cum ſapone præparatæ vel pueri tot bullulas longo ordine provocare norunt. Accedit, quòd medulla *Cynosbati* ob poroſitatem leviſſima ſit, & ſuccos quosvis promtè avideq; abſorbeat, ceu alibi videmus medullam juncorum (Sembden Marck) pro lampade, oleum ſi acceſſerit, uſurpari.

Quis uſus ſit *medullæ* hujus, & an ſit tàm neceſſaria pro germinatione &c. fruticis, quæri poſſet? Neceſſitatem ejus defendit *Neh. Grew. anatom. veget. c. 2.* Obſtare poſſet, (1) ſententia *Zaluzanii meth. herb. p. m.*

 35. aſ-

35 aſſerentis, medullam non eſſe omnium vitæ neceſſariam, cum illa exemtâ nulla planta facilè emoriatur. Cui etiam experientia ſuffragatur, quâ conſtat, vetuſtiores arbores quasdam omni medulla privatas, & intus ob id cavitatem gerentes quandam, nihilominus & virere, & fructus ferre. (2) Quòd medulla utplurimùm ſicca & exſucca inveniatur, vel ipſo fatente *Neh. Grew anat. veget. c. 3.* cùm primò tantùm anno eandem vireſcere, poſteà verò ſicceſcere ſcribit, virideſcente autem ſemper corticoſâ ſubſtantiâ. Experientiam ſi noſtram expetas, vidimus medullam *Cynosbati* adultæ maximam partem exſuccam aridamque, concidentibus quaſi in ſe ejus poris. In juniore autem, & non ita pridem è terra protuberante licuit obſervare medullam ſucculentam. Sic & *Cynosbati* radices hyberno tempore examinatæ ſucciplenam exhibuêre medullam.

Ramos Cynosbati ſi examinemus, nihil erunt aliud, quàm pars trunci ſuperior in multa veluti brachia diviſa. Differunt à trunco ſolo poſitu, quod ad latera inclinẽt. Alioquin quoad cutim cum corticoſa, lignoſa, medullariq; ſubſtantia invicem haut differunt, ſed pari ambulant paſſu, ſpinulis quoque obſiti ſunt.

Generantur ex ſucci nutritii particulis magis activ is, ſeu, ut recentiores loqui amant,

mant, ex alimento magis fluido, per quod fit, ut à solidioribus pro augmentatione trunci potius impendendis, sensim sese extricent, summa affectent, secumque crassiores quasdam particulas unà evehendo, ramorum sic ponant tyrocinia. Confer *N. Grew anat. veget. c. 4.*

Dividi possunt in *Cynosbato Rami* in majores & minores, seu collaterales, majoribus adnasci qui solent. Et horum minusculorum ea potissimum est felicitas, ut flores & fructus tùm ferant, tùm alant soli. Deinde *Rami* hujusmodi etiam in satis amplum se diffundunt spatium, ut non modò augeri numero, sed & mole crescere videantur, constituentes unà cum frondibus arbusculam veluti quandam ramis luxuriantem suis.

Notari quoque expedit, truncum *Cynosbati*, quandoque circa inferiorem sui partem, quâ terram respicit, racemosum videri; sed sciendum, ramos talismodi, assurgente *Cynosbati* trunco, annuatim in magnitudinem magis proceram, facilè vel suâ sponte obliterari perireque, nutritio scilicet succo summa magis petente; ut hinc tantummodò vestigia quædam eorum, appendicum instar, superesse videantur.

Restant *Spinæ Cynosbati*. *Cynosbatum*

ſpinoſis eſſe obſitam aculeis, tum ipſe viſus, tùm attactus ipſe, cùm incautos lædit, palàm facient. Spinoſa eſt, quia de genere Roſarum eſt, quarum quaſi proprium eſſe dicitur ſpinis eſſe horridum. Datur alioquin *Roſa ſine ſpinis*, ceu ex catalogis hortorum celebriorum videre eſt; ſed una hæc ſpecies non variabit rem. Id ſuſpenſò adhùc relinquitur, an iſta penitus careat ſpinis. Si microſcopii acies admitteretur, forſan ſpinulæ non eſſent defuturæ.

Duplicis verò generis cum ſint *ſpinæ*, autore *Neh. Grew anat. veget. c. 4. lignoſæ* nempè & *corticales*, paucis videbimus, utra ex iis ſpecies *Cynosbato* competat. Corticales *Cynosbati* eſſe ſpinas vel exinde patebit, quod quaſi appendices ſint cuticulæ, & corticoſæ ſubſtantiæ, cum qua ſine læſione lignoſâ promptè ſe avelli ſuſtinent.

Subſtantiam *ſpinarum Cynosbati* ſi trutinare pergas, ſatis robuſtæ & duræ erunt, non verò duriſſimæ, ceu voluit *Dioſcorides*, qui ob id à *Manardo in Epiſt. med. l. 8. p. m. 141.* culpatur, & ſic propterea à ſubſtantia cutanea & corticoſâ diverſæ erunt indolis, quæ molliores ſunt, & tactui facilè cedunt. Excipe autem hîc juniores *Cynosbati* ſpinulas, quæ utiq; molliores, nec ita profundè aculeis ſuis cutim lædunt, ſed levi digiti attactu à cute trunci avelli ſe patiuntur, indiciô

ciô non obſcurô, ultra corticoſam *Cynosbati* ſubſtantiam eas haut penetrare. Alioquin præter lignoſam ſui partem cum trunco eâdem gaudent cuticulâ, ita, ut quoad extimam faciem videantur ex cuticulâ & corticoſa ſubſtantia conflatæ, præterquã quod in meditullio peculiare contineant fibrillarum genus, ita arctô contextarum vinculó, ut unum corpus ſolidum eas diceres, niſi microſcopium aliud oſtenderet. Et per haſce fibrillas conglomeratas partim, partim per cuticulam, quam cum trunco communem habere jam diximus, ſuccum nutritium eò deferri arbitramur.

Figuram *Spinarum Cynosbati* ſi gaudeas rimari, videbuntur hæ ſpinæ referre falcatæ Lunæ faciem, quoad curvaturam; rectius autem partem illam inſtrumenti acuti, quod Poloni *Schikan*, Germani autem Reithammer vocant, quæ retrorſum amplioris, antrorſum verò anguſtioris, & in mucronem deſinentis figuræ eſt, æmulari; ita tamen, ut curvatura non ſurſum adſcendat, ſed deorſum, id quod ſpinarum corticalium proprium eſſe *Neh.Grew* l.c. teſtatur.

Color *Spinarum* in *Cynosbato* utplurimùm pro diverſitate fruticis variat, quatenus is vel junior & exiguæ hinc molis; vel

vetuſtior & ſic procerioris ſtaturæ exiſtit. In junioribus viridiuſculum; in adultioribus autem ruffum, ſeu, ſi mavis brunnum, præſentabunt colorem. Sic *ſpinæ*, quæ radicem verſus poſitæ ſunt, coloris conſpiciuntur brunni, quæ verſus ramuſculos tendunt, viridiuſculi erunt coloris.

Ingens porrò *ſpinarum* numerus in *Cynosbato* ſpectandus erit: Habet namque & truncus, habent & rami, imò & capitella acinifera, & poſtea ipſæmet baccæ ſuas ſpinas, ratione tamen magnitudinis ab invicem differentes. De quo ſuo loco plura.

Sic admiratione non carebit, quòd *ſpinæ* tùm in trunco, tùm in ramuſculis, non ſolitariæ, ſed inſtar gemellorum ſociatæ ſint cernendæ (ein Paar neben einander) exactiſſimè invicem ſibi tùm poſitu, tum magnitudine, colore aliiſque accidentibus, reſpondentes. Super his in medio gemmula communiter una conſpicitur, cui ſint inſtar promontorii, ut ab injuriis externis eò melius defendi, & ſpes prolis ſecuturæ conſervari rectius poſſit.

De ortu *ſpinarum Cynosbati* præmonemus, fruticem *Cynosbati* non tunc demùm incipere ſpinis armari ſuis, cum in truncum ramosque jam aſſurrexit; ſed pro certo affirmamus experientiâ ſuffulti, ſpinas primordia impetrare ſua in ipſo germinatio-

nonis ovo. Simulac enim è telluris gremio *Cynosbatos* caput attollere incipit, statim quoque spinarum rudimenta secum adfert. Quibus ita positis dicimus, malè illos facere, qui asseverare non erubescunt, spinas esse quasi accidens plantæ, & otiosum quid, frustraneo naturæ molimine factas. Minimè verò. Sunt de essentia, sunt de necessitate *Cynosbati*, uti infra habebimꝰ.

De modo autem nascendarum *spinarum* non omnes idem sentiunt. *Joh. Bapt. Porta l. 2. phytognom. c. 31. p. m. 108.* ex *Alberto* allegat, materiam esse succum terrestrem, calidum valdè, in quo propter intensionem materiæ statim ab initio formationis plantæ festinat decoctio, & fervens sicca materies, & acuta educitur in raritatem transversorum pororum, & fortissimè durescit. Nobis per experientiam constat, quòd ex antecedentibus repetimus, substantiam spinis eandem esse partim cum cuticula, partim cum corticali substantia, ex quibus spinarum viscera sunt conflata: succum autem, quô nutriuntur, tùm per cuticulam, tùm fibrillarum poros impetrare, duritiem verò nancisci, partim positivè ab aëre ambiente, qui poros constipat earum; partim privativè ob exhalationem particularum humidarum. Figuram mucronatam adeptæ sunt juxta *Albertum*, ci-

tante pariter *I. B. Porta phytognom. l. 2. c. 31. p. 110.* ab aëre in materia illa incluſo, qui quantò magis à plantâ, à qua ſpirat, elongatus fuerit, tantò magis augetur, & in tenues auras abit, & ideò magis acuitur neceſſariò. Nobis ſi liceret balbutire in re adeò abſtruſâ, diceremus, examine per microſcopium factô, figuram ſpinarum eſſe adſignandam ſingulari fibrillarum texturæ, ſeu poſitui, ubi nempè fibrillæ quædam à corticoſa *Cynosbati* ſubſtantia ſecedunt, & quaſi conglomeratæ, funiculique inſtar contortæ cutim attollunt, & cum ea figuram mucronatam præſentant, pari forſan ratione, quâ videmus filamenta plura in unum faſciculum colligi, ubi pars anterior in cuſpidem contorquetur; pars autem poſterior ſine contorſione figuram ſuam retinet. Alioquin ſpinas vocat extremitates filamentoſas corporis lignoſi cuti intruſas *Neh. Grew. anat. veget. c. 4.* id quod de ſpinis lignoſis quoque verum eſt.

Articulus III.

De Foliis Cynosbati.

Summaria.

Folia primò ſunt valdè exigua. Frondes quot foliis conſtent? Subſtantia eorum duplex eſt. Explicatur. Quid ſuccus foliorum ille? Fibra

bræ foliorum quales? Figura foliorum quæ? Color & odor qualis foliorum? Quamdiu folia perdurent in frutice?

SImulac gemmæ, seu oculi, ut vocant, aperturam moliuntur, & explicari incipiunt, mox *foliola*, & germinum primordia in conspectum veniunt, pusilla licet primùm, dignoscenda tamen facilè, faciliusq;, sicubi justam dimensionem fuerint nacta.

Hinc videas frondes *Cynosbati* aliquot luxuriari foliis, quorum quinq; interdùm, interdùm septem ex observatione *Hieronymi Bock in herb. p.364.* & nostrâ qualicunq;, numerantur, quorumque quodvis suo peculiari gaudet petiolo, cui ceu fulcimento innititur.

Ratione substantiæ videntur *folia Cynosbati* bifariàm se habere. Primo namque loco quædam substantia eorundem mollior est, & veluti cutanea; cùm foliorum cutis nihil sit aliud *Neh. Grew anat. veget. c. 4.* quàm rami ampliati cutis, tùm novarum, tùm pristinarum particularum accretione in latitudinem eam extensa. Partem foliorum intermediam, aliis parenchyma dictam, quod concernit, eandem nihil aliud esse, quàm lobum seminis, aut corpus crassum, idem *N. Grew. anat. veg. c.1.* docet. Videtur nobis pulpa foliorum *Cynosbati* intermedia referre succum quendam concre-


Alabastri in baccis Cynosba
Singulares
Pira bis florentia

cavit *Dodonæus histor. stirp. pempt. 2. l. 1. p. 137.* In extremitatibus foliorum lateralibus videbuntur quasi serrata, pectinum, vel serræ in modum incisa.

Quoad colorem, superior facies *foliorum* coloris erit viridescentis, & velut herbidi, inferior autem, quâ terram respicit, ex virore nigrescit quasi, dunckelgrün / aut Aschenfarben-grün/ceu loquitur *Bock in herbar. p. 364.*

Odor foliorum *Cynosbati* parcus est, vel planè nullus, & hoc habent cum Rosarum sativarum foliis commune, quæ & ipsa ex mente *Neh. Grew. d. anatom. vegetab. c. 4.* nihil habent odoris.

Quamdiu folia *Cynosbati* in frutice sint visenda, quæris? ℞. cùm perdifolia sint, unà cum aliis autumnali tempore fore decidua, restitantibus tamen, nisi vis accesserit quædam, nonnihil fructuum pomulis.

ARTICULUS IV.
De Floribus Cynosbati, & eorum partibus.

SUMMARIA.

Florum encomium. Rudimenta Florum Cynosbati. Capitella quid? Flores Cynosbati quot foliis constent? Flores Cynosb. mox decidunt. Antheræ florum Cynosbati quales? Earum

color, figura &c. Alcool earum quid? Vis Alcool pini & liliorum alborum singularis. Explicatur. Figura florum Cynosbati. Differunt à Rosis domesticis. Color & odor Cynosbati florum qualis? Quò tempore floreat? Florum protrusio quandoq; impeditur. Quare? Exempla. Mira florum protrusio. Pyra immatura adhuc semel florent. Historia. Phænomenon in fructibus Cynosb. Quæstio. Quomodo hyeme flores recentes possint impetrari. Explicatur. Impetrantur naturâ & arte. Epicrisis Clauderi, & autoris. Quomodo flores diu adservari queant integri? Explicatur. Modi aliquot enumerantur. Flores an & quomodo novis Tincturis imbui queant? Fabula de Rosarum rubedine. Sententia autoris. Flores quidam per naturam colorem mutant. Capitella acinifera quid? Figura eorum, & viscositas. Oleum ex capitulis Rosarum centifol. Cera Rosarum.

FOlia, sive frondes in ordine germinationis excipiunt *flores*, fructuum prodromi. Postquàm enim folia, quæ antehàc flores tegmine veluti quodam circumdederunt, seorsim existere, seque ab illis extricare cœperunt, mox in conspectum veniunt quinque capitella petiolis suis deorsum versus innixa, sursùm verò rudimenta florum in alabastris suis latitantia, si *Hiero-*

ronymo Bock in herbar. p. 364. credimus, capitella dico, propediem acinifera, & ipsummet fructum *Cynosbati* suo tempore constituentia, grüne Schellen eidem *Bockio* l. c. dicta. Intra hos alabastros continetur ipse *flos*, informis adhuc & rudi mole conspicuus, usque dum indies magnitudine auctus, majus quærere spatium incipiat. Hinc Alabastri velut dehiscunt, & à flore secedunt, ut eidem dilatando justa præbeatur distantia. Hinc flos non ita pridem in orbem veluti collectus, calyx dictus, sensim aperitur, & mole augetur, & quinque foliolis se ostendit, iisque vel albicantibus, vel ex albo-purpurascentibus. Quam tamen sui gratiam non diu relinquit, sed altero ab ortu die, id quod *Bockius in herb.* l. c. experimentô didicit, deciduus est, & in diem tantummodò à natura genitus videtur.

Explicatis sic *Cynosbati floribus*, & expansis quasi velis se exhibentibus, *Antheræ* etiam apparent, tenerrimis innixæ capillamentis, quæ ipsæ sunt coloris crocei, magnitudine granum milii æquant, odorem spirant svavissimum, & propterea refugium sunt apum &c. qui inde succum colligunt, ex observatione *Bockii* l. c.

Pulvis iste in *antheris* reperibilis crocei coloris & summè volatilis qui est, verum

inveniri dicatur à *Spigelio in Catal. plant. Lugdunens.*

Colorem quod concernit, interdum candidô, interdùm incarnato, *flores Cynosbati* se commendant colore, imò & flavo quandoque ad mentem *Spigelii* l. c. & *Sim. Pauli Quadripart. Bot. p. 35.* Verùm, quod obiter hîc annectimus, officinæ alium non agnoscunt, nec amant, præter illum, qui est incarnati coloris.

Quantum ad odorem *Cynorrhodii*, gratus is omninò est, & propterea ad differentiam aliarum Rosarum sylvestr. à Botanographis odorata quoque dicitur. Interim tamen ejusmodi fragrantiæ non est, cujusmodi domesticæ, & in iis centifoliæ dictæ sunt. Unde etiam fit, ut nec aqua, nec spiritus florum *Cynosbati* parem cum domesticis possideant odoris gratiam.

Ann itempus, quô *Cynosbatus* floret, si desideras, illud dicimus idem esse cum Rosis domesticis, nempè Junii mensem, quem etiam *Bockius herb.* l. c. vult: Majum verò *Schröderus in pharmacop. sub Cynosbato.* Sed parum intererit, uter ex iis fuerit mensis. Novimus enim Anno 1675. mense Julio demùm effloruisse *Cynosbatum.* Plures namq; subsunt causæ, per quas fit, ut stato tempore florum non fiat protrusio. Sic per experientiam confirmati scimus Anno 1674.

Rosas, nec non *Cerasum* &c. mense demùm Augusto & Septembre eleganter floruisse, Autumno nempè calido & humido, vere autem frigido siccoque existentibus. Nec omittenda erit illa ratio, quòd si Rosæ, aliive frutices &c. verno tempore terram mutare, & in peregrinam migrare jubentur, impedimentum inde non leve suboriatur florum justo tempore sese non ostendentium. Sicuti superiore anno experti sumus in *Sorbo aucuparia*, quæ sub initium veris alienæ commissa telluri, mense postmodùm Augusto flores exhibere cæpit suos, subsequentibus dehinc fructuum quoque speciminibus aliquot.

Et hic, quem diximus, naturæ lusus non ita infrequens est. Plus autem admirabilitatis habet, quando deciduis jam prioribus floribus, in fructuum deinde apicibus novi propullulare, & sic contra consuetum Naturæ cursum bis flores uno Anno comparere observantur. Quemadmodum in asserti fidem exempla in promptu sunt. Sic Anno 1636. d. 30 Maij *B. D. Hagendornio*, Patruo olim meo, ex pago Neundorff / unum milliare ab urbe Gorlicio distante, oblata sunt (Fig. 1.) *pyra immatura* in apice, novis eisque incarnati coloris floribus stipata. Quam rem tùm temporis miram & portento similem benè multi putârunt, ceu

ex

ex MSS. ejus hæc mutuati ſumus. Perinde & 1675. in Sileſia tale phænomenon fuiſſe obſervatum, refert *B.D.Vollgnadius Ephemer. Germ.A. VII. obſ. 230. p. 347.* ſuperiori per omnia ſimile, cujus hiſtoriam cum icone ibidem videre licebit. Nos equidem in *Cynosbato* talem apparentiam non obſervavimus. Vidimus tamen in apice fructus *Cynosbati* maximam partem maturi (Fig.II.) *alabaſtros* ita vireſcentes ſeſe explicare, quaſi quædam florum reliquiæ, vel novi eſſent flores. Ut jam de *ſpongiolis* in ſummitate fructus *Cynosb.* jucundo ſpectaculo à nobis viſis nihil dicamus, cùm infra commodius de iis dicturi ſimus.

An & quomodo *flores Cynosbati*, aliive poſſint hyeme recentes impetrari, curioſè quæri poſſet? Naturali quodam ductu plantas quaſdam hyeme, ſub nive etiam, in flores ſe induere, v. g. colchicum, crocum, elleborum album, bellides, &c. fatebuntur mecum Botanophili. Sic quaſdam & naturæ & artis ope brumali tempore flores producere, præſertim, ſi vel ſubterraneis, vel vaporariis fuerint commiſſæ, ſicuti caryophylla, lychnides, roſas &c. floruiſſe vidimus, pariter non obſcurum eſſe poteſt. Hinc quoque *Quercetanus in Reſponſ. ad Aubert. p. m. 48.* deprædicat, ſe olim Heidelbergæ in hypocauſto Comitis Palatini flores

fructusque in arboribus productos vidisse. Miraculosè *Rosam Hierichunteam*, licet penè exsucca fuerit, nocte Nativitatis Christi in vino flores explicare suos, veterum traditio est, fabulæ proxima. Vid. *D. D. Ammanni tract. d. mat. med. p. m. 67. & B. D. Mollenbroccii Cochlear. Cur. procemium.*

Artis autem solius beneficio hyeme extraordinario Naturæ motu posse flores produci, majoris certè curiositatis est. Sic *cerasi* surculum in folia & flores abire hyemali tempore hypocausto, aquæ interventu, commissum, vel pagani norunt. Periculum verò fac cum ramis pyri, pruni, &c. eodem artificio licet adhibito, nihil florum obtinebis. Impossibile autem negotium hocce non dicemus, recordantes, quod plantæ de novo ex seminulis intra aliquot horarum spatia artificio quodam Chimicô exhiberi queant. Id quod de lactuca professus est *Joh. Joach. Becherus in supplemento physic. subterr. c. 1. p. m. 18.* quodque nec latuit *Joh. Ernestum Burggravium in Achill. rediviv. p. m. 53.* cujus verba cedro digna sic habent: *Mater illa familias* (natura) *creat Rosas verno tempore. At Pater ille conjunx* (ars) *cooperante suaviter suâ Venere, nequeat Autumnali, vel hyberna tempestate? Imò vel media Brumâ si vernos producat flores, tibi magni instar erit prodigii? Vulgo illa sunt mi-*

minucula, at sapienti lusus? Uvas maturas autumno dat Natura. Ars aestati non dabit, aut veri etiam? Quae Natura dat diei spatio, ars horae interstitio non praestabit? Nec sola erit ingeniosior temporis praeventione? ut vel petroselinum, aut ligustrum, aut calendulam non procreet paucarum horarum spatio? vel plantae imperfectae manum imponat ultimam. Hæc ille.

Justa verò est censura *D. D. Clauderi* de hisce hyemalibus floribus, *Tr. de Tinct. univers. c. 5. p. m. 224.* Nempè, quoniam nec rore, nec pluviis, aliisque balsamicis particulis sunt refocillati, hinc nec odore, nec colore, nec vigore, esse æquiparandos illis in hortis crescentibus. Cui epicrisi velut in parenthesi hoc addimus, visi licet sint flores hyemales artis ope producti, præextiterunt tamen hi ut plurimum in gemmis suis actu, licet rudi indigestaque mole, quos Ars facilè potuit juvare, ut in actum erumperent, seseque explicarent, ceu in Cerasi surculis. An verò unquam absque naturæ adminiculo per artem hyeme novæ plantæ, & hinc flores fuerint producti, experientia erit consulenda.

De *floribus* per longiora tempora tùm in rei coronariæ, tùm medicæ usum, integris servandis, si quis curiosorum quærat, ei respondebimus, negotium hocce multifariàm celebrari posse. *Autor medicinae Dygbæ.*

vetustior & sic procerioris staturæ existit. In junioribus viridiusculum; in adultioribus autem ruffum, seu, si mavis brunnum, præsentabunt colorem. Sic *spinæ*, quæ radicem versus positæ sunt, coloris conspiciuntur brunni, quæ versus ramusculos tendunt, viridiusculi erunt coloris.

Ingens porrò *spinarum* numerus in *Cynosbato* spectandus erit: Habet namq; & truncus, habent & rami, imò & capitella acinifera, & postea ipsæmet baccæ suas spinas, ratione tamen magnitudinis ab invicem differentes. De quo suo loco plura.

Sic admiratione non carebit, quòd *spinæ* tùm in trunco, tùm in ramusculis, non solitariæ, sed instar gemellorum sociatæ sint cernendæ (ein Paar neben einander) exactissimè invicem sibi tùm positu, tum magnitudine, colore aliisque accidentibus, respondentes. Super his in medio gemmula communiter una conspicitur, cui sint instar promontorii, ut ab injuriis externis eò melius defendi, & spes prolis secuturæ conservari rectius possit.

De ortu *spinarum Cynosbati* præmonemus, fruticem *Cynosbati* non tunc demùm incipere spinis armari suis, cum in truncum ramosque jam assurrexit; sed pro certo affirmamus experientiâ suffulti, spinas primordia impetrare sua in ipso germina-

tio-

gonis ovo. Simulac enim è telluris gremio *Cynosbatos* caput attollere incipit, statim quoque spinarum rudimenta secum adfert. Quibus ita positis dicimus, malè illos facere, qui asseverare non erubescunt, spinas esse quasi accidens plantæ, & otiosum quid, frustraneo naturæ molimine factas. Minimè verò. Sunt de essentia, sunt de necessitate *Cynosbati*, uti infra habebimus.

De modo autem nascendarum *spinarum* non omnes idem sentiunt. *Joh. Bapt. Porta l. 2. phytognom. c. 31. p. m. 108.* ex *Alberto* allegat, materiam esse succum terrestrem, calidum valdè, in quo propter intensionem materiæ statim ab initio formationis plantæ festinat decoctio, & fervens sicca materies, & acuta educitur in raritatem transversorum pororum, & fortissimè durescit. Nobis per experientiam constat, quòd ex antecedentibus repetimus, substantiam spinis eandem esse partim cum cuticula, partim cum corticali substantia, ex quibus spinarum viscera sunt conflata: succum autem, quô nutriuntur, tùm per cuticulam, tùm fibrillarum poros impetrare, duritiem verò nancisci, partim positivè ab aëre ambiente, qui poros constipat earum; partim privativè ob exhalationem particularum humidarum. Figuram mucronatam adeptæ sunt juxta *Albertum*, ci-

tante pariter *I.B. Porta phytognom. l. 2. c. 31. p. 110.* ab aëre in materia illa incluso, qui quantò magis à plantâ, à qua spirat, elongatus fuerit, tantò magis augetur, & in tenues auras abit, & ideo magis acuitur necessariò. Nobis si liceret balbutire in re adeò abstrusa, diceremus, examine per microscopium factô, figuram spinarum esse adsignandam singulari fibrillarum texturæ, seu positui, ubi nempè fibrillæ quædam à corticosa *Cynosbati* substantia secedunt, & quasi conglomeratæ, funiculique instar contortæ cutim attollunt, & cum ea figuram mucronatam præsentant, pari forsan ratione, quâ videmus filamenta plura in unum fasciculum colligi, ubi pars anterior in cuspidem contorquetur; pars autem posterior sine contorsione figuram suam retinet. Alioquin spinas vocat extremitates filamentosas corporis lignosi cuti intrusas *Neh. Grew. anat. veget. c. 4.* id quod de spinis lignosis quoque verum est.

Articulus III.

De Foliis Cynosbati.

SUMMARIA.

Folia primò sunt valdè exigua: Frondes quot foliis constent? Substantia eorum duplex est. Explicatur. Quid succus foliorum ille? Fibra

bra foliorum quales? Figura foliorum quæ? Color & odor qualis foliorum? Quamdiu folia perdurent in frutice?

Simulac gemmæ, seu oculi, ut vocant, aperturam moliuntur, & explicari incipiunt, mox *foliola*, & germinum primordia in conspectum veniunt, pusilla licet primùm, dignoscenda tamen facilè, faciliusq́; sicubi justam dimensionem fuerint nacta.

Hinc videas frondes *Cynosbati* aliquot luxuriari foliis, quorum quinq; interdùm, interdùm septem ex observatione *Hieronymi Bock in herb. p. 364.* & nostrâ qualicunq́; numerantur, quorumque quodvis suo peculiari gaudet petiolo, cui ceu fulcimento innititur.

Ratione substantiæ videntur *folia Cynosbati* bifariàm se habere. Primo namque loco quædam substantia eorundem mollior est, & veluti cutanea; cùm foliorum cutis nihil sit aliud *Neh. Grew anat. veget. c. 4.* quàm rami ampliati cutis, tùm novarum, tùm pristinarum particularum accretione in latitudinem eam extensa. Partem foliorum intermediam, aliis parenchyma dictam, quod concernit, eandem nihil aliud esse, quàm lobum seminis, aut corpus crassum, idem *N. Grew. anat. veg. c. 1.* docet. Videtur nobis pulpa foliorum *Cynosbati* intermedia referre succum quendam concre-

cretum, viridiusculum, ejusdem cum illo, qui in cute & corticali substantia est, originis, & qualitatum earundem, qui augetur, conservaturque tùm à succo inferiorum partiũ adscendente, tùm ab extra in poros se insinuante. Et hunc succum viridiusculum per expressionem, ceu in aliis, facilè licebit impetrare, si qui per colaturã abstrahatur, cuticulæ & nervorum, seu fibrarum, vestigia remanere observabis.

Sic ad substantiam *foliorum* secundo loco pertinent fibrillæ, quæ per cutim & parenchyma, instar filamentorum, excurrunt, ita tamen, ut à petiolo per medium folioli nervus quidam paulò crassior conspiciatur protensus, quem continuatum petiolum non ineptè dixeris, ex quo ad latera plures, iique minores fibræ excurrunt; ambæ eô factæ fine, tùm ut figuram conservent, tùm ut prohibeant, ne ab externa injuria quadam succus ille parenchymaticus facilè lædatur & diffluat.

Figuram si spectes *foliorum Cynosbati*, longè minora sunt, quàm Rosarum domesticarum folia, & cordis figuram æmulantur, ita tamen, ut basi nonnihil ampliora existant, circa extremitates autem in mucronem desinant. Cutis eorundem aspera est minutissimis obsita spinulis, tùm microscopii beneficio, tùm attactu animadvertenda; ob id quoque folia aspera voca-

ca-

Alabastri in baccis Cynosba
Singulares



cavit *Dodonæus histor. stirp. pempt. 2. l. 1. p. 137.* In extremitatibus foliorum lateralibus videbuntur quasi serrata, pectinum, vel serræ in modum incisa.

Quoad colorem, superior facies *foliorum* coloris erit viridescentis, & velut herbidi, inferior autem, quâ terram respicit, ex virore nigrescit quasi, dunckelgrün / aut Aschenfarben-grün/ceu loquitur *Bock in herbar. p. 364.*

Odor foliorum *Cynosbati* parcus est, vel planè nullus, & hoc habent cum Rosarum sativarum foliis commune, quæ & ipsa ex mente *Neh. Grew. d. anatom. vegetab. t. 4.* nihil habent odoris.

Quamdiu folia *Cynosbati* in frutice sint visenda, quæris? ℞. cùm perdifolia sint, unà cum aliis autumnali tempore fore decidua, restitantibus tamen, nisi vis accesserit quædam, nonnihil fructuum pomulis.

ARTICULUS IV.
De Floribus Cynosbati, & eorum partibus.

SUMMARIA.

Florum encomium. Rudimenta Florum Cynosbati. Capitella quid? Flores Cynosbati quot foliis constent? Flores Cynosb. mox decidunt. Antheræ florum Cynosbati quales? Earum

co-

ronymo Bock in herbar. p. 364. credimus, capitella dico, propediem acinifera, & ipsummet fructum *Cynosbati* ſuo tempore conſtituentia, grüne Schellen eidem *Bockio* l. c. dicta. Intra hos alabaſtros continetur ipſe flos, informis adhùc & rudi mole conſpicuus, uſque dum indies magnitudine auctus, majus quærere ſpatium incipiat. Hinc Alabaſtri velut dehiſcunt, & à flore ſecedunt, ut eidem dilatando juſta præbeatur diſtantia. Hinc flos non ita pridem in orbem veluti collectus, calyx dictus, ſenſim aperitur, & mole augetur, & quinque foliolis ſe oſtendit, iisq; vel albicantibus, vel ex albo-purpuraſcentibus. Quam tamen ſui gratiam non diu relinquit, ſed altero ab ortu die, id quod *Bockius in herb.* l. c. experimentô didicit, deciduus eſt, & in diem tantummodò à natura genitus videtur.

Explicatis ſic *Cynosbati floribus*, & expanſis quaſi velis ſe exhibentibus, *Antheræ* etiam apparent, tenerrimis innixæ capillamentis, quæ ipſæ ſunt coloris crocei, magnitudine granum milii æquant, odorem ſpirant ſvaviſſimum, & propterea refugium ſunt apum &c. qui inde ſuccum colligunt, ex obſervatione *Bockii* l. c.

Pulvis iſte in *antheris* reperibilis crocei coloris & ſummè volatilis qui eſt, ve-

rum

inveniri dicatur à *Spigelio in Catal. plant. Lugdunens.*

Colorem quod concernit, interdum candidô, interdùm incarnato, *flores Cynosbati* se commendant colore, imò & flavo quandoque ad mentem *Spigelii* l. c. & *Sim. Pauli Quadripart. Bot. p. 35.* Verùm, quod obiter hîc annectimus, officinæ alium non agnoscunt, nec amant, præter illum, qui est incarnati coloris.

Quantum ad odorem *Cynorrhodii*, gratus is omninò est, & propterea ad differentiam aliarum Rosarum sylvestr. à Botanographis odorata quoque dicitur. Interim tamen ejusmodi fragrantiæ non est, cujusmodi domesticæ, & in iis centifoliæ dictæ sunt. Unde etiam fit, ut nec aqua, nec spiritus florum *Cynosbati* parem cum domesticis possideant odoris gratiam.

Ann tempus, quô *Cynosbatus* floret, si desideras, illud dicimus idem esse cum Rosis domesticis, nempè Junii mensem, quem etiam *Bockius herb.* l. c. vult: Majum verò *Schröderus in pharmacop. sub Cynosbato.* Sed parum intererit, uter ex iis fuerit mensis. Novimus enim Anno 1675. mense Julio demùm effloruisse *Cynosbatum.* Plures namque subsunt causæ, per quas fit, ut stato tempore florum non fiat protrusio. Sic per experientiam confirmati scimus Anno 1674.

Rosas, nec non *Cerasum* &c. mense demùm Augusto & Septembre eleganter floruisse, Autumno nempè calido & humido, vere autem frigido siccoque existentibus. Nec omittenda erit illa ratio, quòd si Rosæ, aliive frutices &c. verno tempore terram mutare, & in peregrinam migrare jubentur, impedimentum inde non leve suboriatur florum justo tempore sese non ostendentium. Sicuti superiore anno experti sumus in *Sorbo aucuparia*, quæ sub initium veris alienæ commissa telluri, mense postmodùm Augusto flores exhibere cœpit suos, subsequentibus dehinc fructuum quoque speciminibus aliquot.

Et hic, quem diximus, naturæ lusus non ita infrequens est. Plus autem admirabilitatis habet, quando deciduis jam prioribus floribus, in fructuum deinde apicibus novi propullulare, & sic contra consuetum Naturæ cursum bis flores uno Anno comparere observantur. Quemadmodum in asserti fidem exempla in promptu sunt. Sic Anno 1636. d. 30 Maij *B. D. Hagendornio*, Patruo olim meo, ex pago Neundorff / unum milliare ab urbe Gorlicio distante, oblata sunt (Fig. 1.) *pyra immatura* in apice, novis eisque incarnati coloris floribus stipata. Quam rem tùm temporis miram & portento similem benè multi putârunt, ceu

ex

ex MSS. ejus hæc mutuati ſumus. Perinde & 1675. in Sileſia tale phænomenon fuiſſe obſervatum, refert *B. D. Vollgnadius Ephemer. Germ. A. VII. obſ. 230. p. 347.* ſuperiori per omnia ſimile, cujus hiſtoriam cum icone ibidem videre licebit. Nos equidem in *Cynosbato* talem apparentiam non obſervavimus. Vidimus tamen in apice fructus *Cynosbati* maximam partem maturi (Fig. II.) *alabaſtros* ita vireſcentes ſeſe explicare, quaſi quædam florum reliquiæ, vel novi eſſent flores. Ut jam de *ſpongiolis* in ſummitate fructus *Cynosb.* jucundo ſpectaculo à nobis viſis nihil dicamus, cùm infra commodius de iis dicturi ſimus.

An & quomodo *flores Cynosbati*, aliive poſſint hyeme recentes impetrari, curioſè quæri poſſet? Naturali quodam ductu plantas quasdam hyeme, ſub nive etiam, in flores ſe induere, v. g. colchicum, crocum, elleborum album, bellides, &c. fatebuntur mecum Botanophili. Sic quasdam & naturæ & artis ope brumali tempore flores producere, præſertim, ſi vel ſubterraneis, vel vaporariis fuerint commiſſæ, ſicuti caryophylla, lychnides, roſas &c. floruiſſe vidimus, pariter non obſcurum eſſe poteſt. Hinc quoque *Quercetanus in Reſponſ. ad Aubert. p. m. 48.* deprædicat, ſe olim Heidelbergæ in hypocauſto Comitis Palatini flores

fructusque in arboribus productos vidisse. Miraculosè *Rosam Hierichunteam*, licet penè exsucca fuerit, nocte Nativitatis Christi in vino flores explicare suos, veterum traditio est, fabulæ proxima. Vid. *D. D. Ammanni tract. d. mat. med. p. m. 67.* & *B. D. Mollenbroccii Cochlear. Cur. proœmium.*

Artis autem solius beneficio hyeme extraordinario Naturæ motu posse flores produci, majoris certè curiositatis est. Sic *cerasi* surculum in folia & flores abire hyemali tempore hypocausto, aquæ interventu, commissum, vel pagani norunt. Periculum verò fac cum ramis pyri, pruni, &c. eodem artificio licet adhibito, nihil florum obtinebis. Impossibile autem negotium hocce non dicemus, recordantes, quod plantæ de novo ex seminulis intra aliquot horarum spatia artificio quodam Chimicô exhiberi queant. Id quod de lactuca professus est *Joh. Joach. Becherus in supplemento physic. subterr. c. 1. p. m. 18.* quodque nec latuit *Joh. Ernestum Burggravium in Achill. rediviv. p. m. 53.* cujus verba cedro digna sic habent: *Mater illa familias* (natura) *creat Rosas verno tempore. At Pater ille conjunx* (ars) *cooperante suaviter suâ Venere, nequeat Autumnali, vel hyberna tempestate? Imò vel media Brumâ si vernos producat flores, tibi magni instar erit prodigii? Vulgo illa sunt*

miracula, at sapienti lusus? Uvas maturas autumno dat Natura. Ars æstati non dabit, aut veri etiam? Quæ Natura dat diei spatio, ars horæ interstitio non præstabit? Nec sola erit ingeniosior temporis præventione? ut vel petroselinum, aut ligustrum, aut calendulam non procreet paucarum horarum spatio? vel plantæ imperfectæ manum imponat ultimam. Hæc ille.

Justa verò est censura *D.D. Clauderi* de hisce hyemalibus floribus, *Tr. de Tinct. univers. c. 5. p. m. 224.* Nempè, quoniam nec rore, nec pluviis, aliisque balsamicis particulis sunt refocillati, hinc nec odore, nec colore, nec vigore, esse æquiparandos illis in hortis crescentibus. Cui epicrisi velut in parenthesi hoc addimus, visi licet sint flores hyemales artis ope producti, præextiterunt tamen hi ut plurimum, in gemmis suis actu, licet rudi indigestáque mole, quos Ars facilè potuit juvare, ut in actum erumperent, seseque explicarent, ceu in Cerasi surculis. An verò unquam absque naturæ adminiculo per artem hyeme novæ plantæ, & hinc flores fuerint producti, experientia erit consulenda.

De *floribus* per longiora tempora tùm in rei coronariæ, tùm medicæ usum, integris servandis, si quis curiosorum quærat, ci respondebimus, negotium hocce multifariàm celebrari posse. *Autor medicinæ Dygbæ.*

bæ. tom. 1. in append. p. 209. rem ita adornat: Recipit Rosas, priusquam hiant, cultello amputatas, quas noctu aeri sereno exponit, ita tamen, ne rore imbuantur; manè verò in ollam fictilem, recentem, probeque vitreatam petiolis erectis collocat, & ab aeris ingressu præservat: Hinc fictile in arena sicciore recondit, & sic promittit Rosas per annum floridissimas. *Sunt* qui balsamico quodam liquore flores in aurora, antequam Solis æstum experiantur, imbibunt, eosque ante solis adventum cum caule decerpunt, & recondunt. Curiosissimum verò omnium artificium est, quô utitur *Dn. Balduinus*, cùm beneficio liquoris cujusdam balsamici in vitris omnis generis flores, etiam hyeme, & ostendere, & conservare didicit. *Confer Ejusd. tr. d. auro aura c. 12. p. m. 169.*

De *floribus Rosarum* alio tingendis colore, Poëtarum fabula est, Rosas, quæ antehàc fuerint candidissimæ, à Veneris per Roseta aliquando nudis pedibus ambulantis, & hinc vulneratæ, sanguine tinctas fuisse. An posteri occasionem inde arripuerint, Rosarum radicibus affundere cruorem animalium, adhùc pro Tinctura rubella iis imprimenda, nos latet. Et hic mos etiam nostratibus adhùc familiaris est. Sic hortulani norunt quoque

Tu-

Tulipas, lilia, narcissos &c. alio tingere colore. Posset quis de felicitate effectus dubitare, inquirendo in modum, quô affusus cruor, vel alius liquor, possit per tot fruticis meatus, tot succi nutritii mutationes, integris viribus ad flores usque pertingere. An respondendum, Tincturam hanc fieri non à cruore, quatenus rubicundus est; sed quatenus ♀ & Sale balsamico turgeat, quæ apta sunt particulas succi alibilis ♀reas augere, easque ab aliarum compedibus liberare, ut auctiore numero pro florum Tinctura queant impendi. Nam si tota cruoris substantia ingrederetur fruticem, consequens esset, eundem per omnes sic partes debere parili Tincturâ imbui, quod experientiæ reclamat. Alioquin *I.B. Porta phytognom. c.19. p.m.176.* ait, *Rosas* initiò esse albas, posteà verò ex succi coctione fieri rubentes. De *Tulipis* hoc verum est, nempè candicantibus, quæ si per aliquot dies solares radios expertæ sint ferventiores, posteà colorem induunt sanguineum, tinctâ vel totâ foliorum substantiâ, vel saltim certâ quadam parte, quod & nos sæpè vidimus.

De *Capitellis Cynosbati aciniferis* quædam adhùc dicenda sunt, cùm ad florum germinationem pertineant, quorum qua-

si basis sunt. Propriô aliàs petiolô constant, figuræ sunt oblongioris, coloris viridescentis, extus villosa, intus autem cum lanugine tenerrimos arillos complectentia. Quæ corpuscula, deciduis floribus, fructus seu baccas *Cynosbati* tandem & inchoare & absolvere solent. In superficie horum capitulorum conspicitur aliquando viscositas quædam, quæ tamen in *Cynosbato* parcissima; abundantior autem in Rosis domesticis, quas centifolias dicunt, apparet. Quam viscositatem dici posse resinam putamus, cùm instar picis, vel melaginis digitis adhæreat, nihilque aliud esse videatur, quàm effluviorum oleosorum ex poris ejusdem exhalantium, & superficietenus ab aëre ambiente coagulatorum, & in resinam stipatorum, congeries. Consimilem sæpè resinam vidimus in lychnide viscosa, summitatibus pini, arboris populi &c. *Obiter* hîc notamus, si capitella *Rosarum centifol.* resinosa cum oleo communi infundas, & ad solis radios digeras, egregiũ inde resultare oleum grati odoris, miræq́ efficaciæ. In hisce capitellis contusis observavit aliquando *Cerum D. D. Major.* Vid. *Ephem. Germ. Ann. VIII. obs. 6. p. 7.*

AR-

ARTICULUS V.

I.

De Baccis Cynosbati.

SUMMARIA.

Baccæ Cynosbati quid significent. Substantia earum qualis? Cuticula baccarum Cynosbati densa satis est: Illustratur. Pulpæ status duplex est: Baccæ Cynosbati quomodò germinent, augmententur & maturentur? diu in frutice perfistunt. Non invenies juniores & vetustiores simùl in Cynosbato. Figura baccarum duplex est: Probatur. Differunt invicem magnitudine. Illustratur. Baccæ & ipsæ spinosæ sunt. Figura harum spinularum. Baccis pulvisculus quidam inhærere dicitur. Odor baccarum qualis? Color earumdem variat. Illustratur. Sol fructibus dat colorem, saporem, &c. Sapor alius maturarum, alius immaturarum est baccarum. Probatur. Sapor non facilè in baccis Cynosbati perit. Unde sapor iste baccarum Cynosbati vellicans? Sententia autoris. Quis sit ille status baccarum Cynosbati, teig dictus? Explicatur. Quid de putridis sentiendum baccis? non sunt rejiciendæ. Cur baccæ Cynosb. nunc parcius nunc copiosius nascantur? Ratio. Quomodo fructus diu possint asservari incorrupti? Experimen-

rimenta varia. Quid sit illud capitellum nigricans baccarum Cynosbati, das Hütgen.

F*Ructus*, sive baccæ *Cynosbati* finis sunt quasi ultimus, quem natura tùm in germinatione, tùm augmentatione *Cynosbati* intendit. Hinc sunt veluti indices latentis in *Cynosbato* facultatis proliferæ, testesq́ alicujus fertilitatis.

Ratione substantiæ considerati hi *fructus*, exhibebunt primò cuticulam, satis crassam, quâ pulpa seu caro *Cynosbati* vestitur, tùm ut ab extraneis injuriis se tueatur, tùm ut pulpæ arillisque decentem præbeat situm. Hinc cuticula hæc non facilè à pluviâ, nive aliisque aëris inclementiis læditur. Sic, cùm pro præparandis medicaminibus conquassatur, diu resistere videtur malleo contundenti, hincque facilius citiusque pulpam ab ea liberari videbis, quàm ut ipsa rumpi, & in partes abire velit, quin & cribri poros transire renuit, nisi vis accesserit quædam.

Sub cutis tegumento Caro *Cynosbati* postmodû apparet: cujus status duplex est; *Unus*, quando fructus, licet maturi videantur, firmam adhùc possident texturam, nec succulenti, nec grati saporis &c. sunt. In quo autem statu communiter in usum cedunt vel culinarium pro exsiccatione; vel me-

medicum pro conditura. *Alter* ſtatus eſt, cùm ſucculenti, molliores, & eſui aptiores fiunt. Quo de infrà, ut & de arillis, lanugine &c.

Germinationis rationem in fructibus *Cynosbati* ſi ſpectes, hoc habebunt cum ſativis commune, quod depoſitô flore, ſub illo rudimenta inſtar tenellorum capitulorum, ſed tamen viridiuſculorum, actutùm exhibeant, quæ magnitudine ſuâ, quantillalicet, indies creſcere videntur, &, quod minimè ſilentio prætereundum, baſis quaſi ſunt, vel ſtamina foliorum illorum, quæ *alabaſtri* dicuntur, quæque benè diu in apice poſtmodum fructus ſeſe oſtendere aſſolent.

Augmentationis horum *fructuum*, ſeu baccarum tempora quod concernit, mox deciduis foliis augeri videntur, quæ per tres circiter menſes continuatur, viridiuſculis licet exiſtentibus adhuc baccis, usque dum circa menſem Septembris ceſſante earundem augmentatione, coloreque viridiuſculo relicto, ſenſim ſenſimque rubicundiore induuntur veſtitu, quo apparente, indicium eſt minimè fallax, eosdem jam maturitatis tempora eſſe adſecutos. Igitur, ſi baccæ *Cynosbati* colore ſeſe commendent rubicundo, perfectionis ſtatꝰ jam adeſſe præſumendus eſt. Hinc niſi vel in me-

dicinam, vel culinam decerpantur, sive ventorum, insectorumque violentiâ à frutice abrumpantur, per totum hyemale tempus utplurimùm superesse queunt, nihil sic morantes aëris injurias, quas patienter sustinere didicerunt, gloriæque sibi velut ducunt, quòd iter facientibus per nives, foliis licet dudùm orbati suis, nihilominus suam manifestare queant præsentiam. Obiter hîc tamen monemus, rarò inveniri baccas *Cynosbati* tùm vetustiores, tùm juniores simul in uno eodemque frutice, quin verè approximante, & novâ fronde propullulante, annosæ spontè suâ decidant, & junioribus locum lubentissimè cedant.

Figuram si spectemus *baccarum Cynosbati*, vel oblongas, glandium instar, ob id quoque *Cardilucio* wilde Rosen = Eicheln *d. Diæta c. 30.* dictas, vel exactè rotundas, globi æmulas, observabimus. Oblongioris quæ sunt figuræ, communiter frequentiores apparent, rariores verò, quæ globosæ sunt. Sylvestres quoque maximam partem, quæ observatio nostra creberrima est, fuerunt oblongæ; hortenses verò rotundæ, ceu jam dicetur.

Sic nec omnium eadem est magnitudo. Sylvestres seu campestres, voca ut lubet, nullum errabis errorem, utplurimùm sunt minores, tùm ob terræ inculturam, seu

ste-

sterilitatem, tùm succi alibilis inopiam, tùm aliorum, quæ ab extra adveniunt, accidentium rationem. Ita ad ora agrorum fertilium quæ nascuntur, majore utique magnitudine erunt conspicuæ; contra verò, quæ ad saxa, ad vias publicas, sepes &c. Ita per Thuringiam mihi olim iter facienti longè grandiores deprehendere licuit, quàm nostris in oris, quæ fertilitate & agrorum culturâ, facilè cedunt agris Thuringiacis. Hortenses autem si species, & mole, & figura oculis abblandiri magis videbis. Sic *Dresdæ* superiore anno egregiam observavimus *Cynosbatum*, quæ baccas ferebat sylvestribus dimidiam partem adhuc grandiores, exactè rotundas, quales usque curiositatis gratiâ in scriniis asservamus.

Ad figuram horum *fructuum* pertinebit pariter, quod extima eorum vestis nunc glabra, nunc hirsuta villosaque lanugine stipata existat, quorum utrumque pariter vidimus. In hortensibus tamen illis suprà dictis loco villosæ substantiæ conspiciendi erant aculei, spinæve non lineis rectis, sed incurvatis instar ☽næ falcatæ è fructibus protuberantes, parilem propè in modum, quò tubuli rosarum hortensium, quas centifolias dicunt, hirsuti, & punctione quadam ob aculeorum minutias cuti molesti

anim-

animadvertuntur. Quos ipsos processus cuspidiformes microscopii adminiculo si examinaveris, esse potius lagenulas inversas, aut tubulos cucurbitiformes succidos, in ventrem rotundum, aut oblongum plus minus terminatos, observavit *D. D. Major Ephemer. Germ. Ann. VIII. obs. 7. p. 7.*

Ita baccis *Cynosbati* præter alia tenuem quandam lanuginem, vel puverulenti quid insidere, quod oculis officiat, ex *Matthiolo* citat *D. Simon Pauli in Quadripart. Bot. sub Cynosbato.*

De *Odore baccarum Cynosbati* non erimus operosi, cùm iste nihil importet, quod curiosos exsaturet animos, sive totam ejus substantiam, sive pulpam velis. Gratus tamen est, nec naribus quicquam molestus.

Quo *Colore* conspiciantur *baccæ Cynosbati*, jam suprà dictum est, nempe rubicundo, & ob id adspectu jucundissimo. Quem tamen non adsequuntur, nisi jam perfectè maturuerint. Quanquàm & hùc non leve conferat momentum cœli per æstatem & autumnum conditio; quæ, si pluviosa, sive frigidiuscula nimis fuerit, rubor iste diutius protrahi consuevit, nec ita saturatò evadunt rubicundi fructus, sed ex viridiusculo & rubicundo velut colore mixti. Ceu id quoque in aliis fructibus videre licet,

cet, qui nisi justum Cœli Solisque habeant favorem, nec ita maturescere, nec decentem impetrare colorem observantur. Sic quoque colorem non acquirunt debitum, si fructus, quicunque illi fuerint, sub umbra arborum delitescant, solaribus radiis sic nõ ritè expositi. In solis namq; favore & fervore colorũ fundamentũ in fructibus positum præprimis esse, nemo inficias ibit, intuitu, quod particulæ solis ♀reæ, quas in ventre portat suo, in poros fructuum se insinuent, particulas crudas fermentent, fixas volatilisent, & ad maturitatem viam sternant. Unde fructuũ partes ♀reæ anteà sub dominio aliarum detentæ ad superficiem evocantur, & fructus gratô deinde pinguntur colore. Ex eodem quoque fundamento putamus petendam esse causam saporis; scilicet, nisi solis fotu, h. e. penetratione particularum prædictarum in poros fructuum, partes austeræ, vel aliter dispositæ, blandè fermententur, & volatilisentur, nunquàm fructus saporis gratiam esse impetraturos.

Sapor itaque *Cynosbati* si ritè sit dignoscendus, opus erit linguâ nullo peregrini saporis charactere notata. Quippè quæ diversitatem fructuum adhùc immaturorum, & jam perfectè maturitatem adsecutorum, facilè palam faciet. Hinc, si quando

do jamjam à frutice decerptos gustaveris, sapor eorum erit austerior paulò cum stypticitate quadam conjunctus. Quod si verò fructus aliquamdiu in conclavi reservatos emolliri (teig werden) permiseris, sicuti quoque procedente tempore ad autumni finem, & per hyemem tales invenire licet, saporem animadvertes gratum & acidulum, dulcore tamen quodam remistum. Et mirari utique subest, quòd hæ baccæ, licet omnem hyemis inclementiam fuerint expertæ, nihilominus tamen sapore non priventur suo. Imò quò diutius vel fruticibus juncti, vel decerpti, super stramine, vel alibi quieverint, eò gratiore se commendabunt sapore, scilicet minùs tùm austero, sed maximam partem alcalino-dulci, ut hinc linguæ non tantùm penitius se insinuet, sed eandem quoque vellicando urat, argumento forsan, diuturniore istâ morâ particulas volatiles ab acidorum consortio se extricasse, suique juris ita esse factas.

Antequàm abeamus ab hoc discursu, in mentem venire posset, annon sapor ille linguæ diu inhærens, leviterque eandem vellicans, qui alcalinis alioquin competit, à lanugine illa ortum trahat? Videmus enim tùm in pulpa sibi relicta, tùm post conquassationem ejusdem, per colatorium jam trajectâ, copiosissimam ejusmodi la-

lanuginem. Quin obſervare etiam licuit nobis in deſtillatione ſpiritus baccarum *Cynosbati* per fermentationem facti, particulas ejusmodi lanuginoſas, ſed ſubtiliſſimas, XX pariter tranſcendiſſe, linguæque etiam vellicationem quandam ſic impreſſiſſe. Lanuginoſæ enim hæ moleculæ, inſtar cuſpidularum poros linguæ penetrant, & ob inæqualitatem pororum moleſtiam illi inferunt, diu, niſi abluantur, inibi relinquendam.

Maturitatem ita adſecutis *Cynosbati* baccis, nanciſcuntur hæ ipſæ & aliam adhuc alterationem, ſeu quendam perfectionis gradum, quem vulgus vocat teig werden. Quæritur hinc, quid ſit ille ſtatus, quæ ratio? Videtur alteratio illa, cùm teig fieri dicuntur, nihil aliud denotare, quàm tendentiam fructus paulò crudioris, hincque palato nõ ita adblandientis, ad pleniorem perfectionis gradum, per quem fit, ut ſubſtantia ejusmodi fructuum, relictâ tùm duritie, tùm auſteritate ingratâ, ſpongioſa & mollior (locker) evadat, ſubſequente deinceps ſapore quodam gratiore. Et hoc ipſum ſatis patet ex pyris ſylveſtribus, meſpilis & aliis, quæ ante hunc alterationis ſtatum eſui non ſunt.

Nolumus tamen acriter nos opponere illis, qui ſtatuunt, ſtatum huncce fru-

ctus *Cynosbati*, & aliorum, qui teig dicuntur, eum esse, à quo possit dari transitus ad putrefactionem, exhalantibus nempè particulis volatilioribus, & substantiâ misti hinc corruente. Quandoquidem per experientiam novimus, si fructus *Cynosbati*, mespila, pyra &c. diutius justo in hoc alterationis statu, quem teig multoties jam diximus, asserventur, putredinem deinde sequi presso pede.

In mentem hîc venit occasione putridorum fructuum, num isti penitus sint rejiciendi, & à foro medico excludendi? Hoc non facilè dixerimus ideò, quòd ex pomis putridis, præsertim borsdorffianis, aquam polychrestam in gangræna elici posse compertum habeamus, quæ & cancri principiis feliciter opponi potest. Sic in officinis etiam prostat aqua pomorum putridorum dicta. Non perit in hoc putredinis statu omnis vis & efficacia, sed avolant tantummodò particulæ 🜁reæ salinæque volatiles, relictis mediæ naturæ particulis. Et primus solummodò putrefactionis gradus, non ultimus, qui omnimoda esset subjecti cum qualitatibus ejusdem destructio, hoc loco celebratur.

Paucis quoque meminisse juvabit, quare hoc vel illo anno nec æqualis, nec ita largus sit fructuum *Cynosbati proventus*? Penuri-

nuriam eorundem rectè adſignabis intempeſtivo frigori, tempore efflorеſcentiæ quodingruit. Vel accuſanda erit aëris nimia ſiccitas, ubi exareſcente terrâ, & ſuccus nutritius frutici conferendus deficere cogitur, nec flores in fructus permutari valent. Accedit huc inſectorum copioſa proles, quæ tùm flores, tum capitella acinifera depaſcendo fructuum ubertatem, utplurimùm impedit & retardat. Et quæ ſunt complura hujus rei obſtacula.

Quomodo *fructus Cynosbati* aliorumq; in futuros uſus queant diutius conſervari, quæſtio erit œconomis non ingrata? *Autor medicinæ Dygbaanæ Tom. 1. p. m. 208.* ait, requiri, ut fructuum collectio fiat cœlo ſereno ſiccoque; ut vaſi ſtanneo ſatis amplo committantur, ita, ut ſe invicem non attingant; ut vaſcu[illegible] hoc benè muniatur pro arcendo & aëris, & aquæ ingreſſu; ut deniqûe in puteum immittatur, & pro lubitu ex eo repetatur. Sic *D. D. Clauderus de balſamat. c. 5. p. 127. ex Porta Magia nat. l. 2. c. 3. p. 75.* hisce addit, jubetque, ut aër arceatur, & hinc fructuum petioli pice liquatâ obturentur, poſteà cannabe vel ſtuppâ involuti cerâ obducantur, & tandem melli impoſiti in vaſe optime clauſo reſerventur. [illegible], pergit, debent diu ſervandi gypsô vel terrâ figulinâ, aut vitrô pulverato obrui, & hinc

in vase picato terræ committi. Ita quoque fructus à pharmacopœis diu servantur, beneficio conditure, quã sacchari interventu perficiunt; sed cùm hic modus vel mulierculis sit cognitus, eum hîc prætermittimus.

Ad fructus *Cynosbati* non immeritò referendum erit capitellum illud nigricans (Hütgen) Germanis dictum, in summitate baccarum *Cynosbati* eminens, sub quo, baccam si dividas, invenies multa quasi crinosa staminula collecta, figuram einer Bürste exhibentia. In quem sint condita usum, non æquè liquet? Videntur basis esse capillamentorum in florum meditullio assurgentium, & antheras ferentium.

II.
De Acinis Cynosbati.

SUMMARIA.

Synonyma Acinorum Cynosbati quæ? Substantia eorum triplex est. Duri satis sunt. Explicatur. Medullam lactiformem intus gerunt. Flammam concipiunt. Quare in lithiasi commendentur? Medulla Arillorum est ipsum semen Cynosbati. Illustratur. Cortex tantum capsula seminis. Multitudo arillorum in una Cynosbati bacca. Figura arillorum qualis? Duplex est. Corrigitur Matthiolus.

Aci-

ACini *Cynosbati* à diversis diversimodè appellitantur. *Schrödero pharmacop. med. chym. l. 4. p. 60.* aliisque arilli ; *B. D. Schenck. Syntagm. præscrib. form. p. 148.* ossicula; *D. Rolfinc. chim. p. m. 239. semina, & method. spec. comment. p. m. 803.* nuclei; grana *D. D. Wedelio d. med. facult. p. m. 113.* nostratibus communiter lapilli audiunt. Vocentur quomodocunque lubet, majoris momenti erit intimiùs in eorum naturam inquisivisse.

Substantia eorundem triplex est, *corticalis, medullosa* & *lanuginosa*. Ratione corticalis substantiæ Arilli sunt præduri, crustaceam seu ossiformem referentes indolem, idque eò magis, quò magis vetustatis notam sunt assecuti ; hinc nec dentibus facile cedunt, nec cultello auscultant, nisi mallei accedat robur. Coloris sunt nunc albicantis, nunc, quo frequentius apparent, flavescentis, imò obscurè rubicundi, sicuti hâc hyeme in aliquibus videre licuit, lanugine comosâ splendenteque ab extra vestiti. Qua de infrà.

Medullaris eorum si examinetur *substantia*, erit ea instar lactis in coagulum quodammodo coacti, præsertim si vetustiores fuerint arilli ; fluida verò & emulsionis instar videnda erit, si recentiores, nec usque adeò maturitatem adepti fuerint. Et hanc medullarem substantiam putamus ideò tot elogiis ornari in *lithiasi*, qua polychre-

ſtum eſſe dicitur, quia copioſâ pollet oleoſitate, quam ſatis ſuperque colligere poteris exindè, quod arilli ad ellychnii flammam poſiti, ex obſervatione noſtra, ignem promptiſſimè concipiant, & in flammam cæruleam, cum fumo in ampla ſpatia ſe diffundente, abeant, indicio ſanè 🜔 balſamici copioſi, id quod oleum ejus expreſſum abundè comprobabit.

Quam *medullarem arillorum* ſubſtantiam dicimus eſſe ipſiſſimum & genuinum, dotibus ſuis ſeminalibus, & ideis ſpecificis abundè inſtructum ſemen, quod aptum natum eſt, terræ ſi committatur, fruticem talem, qualis *Cynosbatos* eſt, procedente tempore, & accedente terræ fotu, ſolisque favore producere. Cortex, licet ſub nomine ſeminis unà quibusdam veniat, nihil aliud eſt, quàm theca ſeu capſula quædam, ſemini huic reali ideò à provida Natura fabricata, ut ab externis non lædatur injuriis; ſed ut tanquàm embryo in utero ſartus tectusq; conſervetur, ceu ingenioſè diſputat *D. D.* von der Becke *de princip. rerum nat. p. 250. & ſeqq.*

Sic multitudo ejusmodi arillorum in uno baccæ globulo contentorum, in conſiderationem quoque venit. Variat tamen ea ratione nunc majoris, nunc minoris ſpatii, cui ſunt incluſi. Interdum ad 20 nume-

merum in majoribus, in minoribus verò ad 10, plus minus eos ascendere, experientia dictitabit.

Figura eorundem dupliciter considerari potest, vel quatenus conjunctim in uno globo; vel quatenus extra eundem seorsim existunt. Illo & priore modo si spectentur, divisâ leniter baccâ, ne positum mutent suum, & corruant, æmulabuntur globum quendam ex multorum acinorum artificioso positu conflatum, extremitatibus suis pulpæ adhærentes, tanquam basi, & summitates suas utiq; tamen villosis crinibus circumdati in altum attollentes. Hoc & posteriore modo, si divisim, & singuli seorsim adspiciantur, apparebunt figuræ angularis, quoad infimam corpusculi partem rotundiformes, & amplioris molis; quoad superiorem verò acuminati, ex cujus acumine copiosi crines albicantes instar cristæ eminent & protuberant.

Hinc ex dictis potest corrigi *Matthiolus*, quod dudùm quoque fecit *D. D. Simon Pauli in quadripart. Bot. edit. primæ p. mi. 35.* qui ex *Dioscoride Cynosbatum* esse ἀκανθώδης asseruit. Alia ut jam taceamus.

III.

De Lanugine Cynosbati.

SUMMARIA.

Lanugo arillorum quid? cur cutim vellicet af-

fricta? Toti pulpæ Cynosbati inhæret. Non urit, sed pungit. Probatur. Urtica non urit. Unde dicatur? Explicatur. Lanugo tulipæ de Alepo qualis sit? Unde antipodagricum Japonensium, Moxa dictum fiat? Lanugo artemisiæ est. Alii substituunt gossypium singulariter paratum. Experimentum additur.

Lanugo arillorum Cynosbati tùm arillos, tùm ipsammet pulpam crinosa veluti veste obducit. Substantiam ejus si spectes, tenerrima eadem erit, quantitatem si consideres, sat multa, qualitatem verò si vis, & gratè flavescens, & ob id egregiè splendens visenda erit. Et hoc peculiare etiam habet, quòd instar fibrarum acinos illos complectatur, & justo positu justaq; ab invicem distantiâ eos contineat, ne extra ordinem suum à naturâ præfixum dislocentur.

Peculiare etiã hoc habet *lanugo* hæc criniformis, quod asperitate suâ homini sit molesta, pruritumq; cuticulæ, vel per jocum, vel, ut alter alteri ægrè faciat, inspersa excitet. Singulare quoque est, quod lanugo hæc in pulpa *Cynosbati*, licet probè probèq; ab eadem fuerit mundificata, nihilominus tamen multâ magnaq; sese ostendat adhuc quantitate, indicio totum *Cynosbati* fructum lanugine hâc esse præditum.

Quæri posset, quomodo *lanugo Cynosbati*

bati molestiam pruritus inferat? ℞. non urendo id fieri, quod nullus lanugini insit ignis sive actualis, sive potentialis, per quem ustionem istam procuret. Ustio illa ex pruritu lanuginis resultans, non lanuginis, sed Archei effectus est, qui ob sensum illum molestum excandescit, & calorem auget. Vero simile igitur est, fieri pungendo. Nàm microscopium planum faciet, lanuginem hanc nihil esse aliud, quàm multarum fibrillarum criniformium congeriem, in extremitate suâ cuspidulis dotatam suis, quæ in poros cutaneos intimius penetrant, nec ab eis divelli se patiantur, nisi diligens lotura per aquas tepidas accesserit, per quam fit, ut poris ita dilatatis, sponte sua ejusmodi cuspidulas à se iterum dimittant, easq; aquæ faciant inhærere.


Et talem lanuginem pungentem videas quoque in *urticâ*, quam spinis longè horridioribus apparere per microscopii adminiculum expertus est *Borellus Observ. microscop. 29. p. 20.* ut hinc non malè olim asseruerit *D. Lange differt. de morbill. thes. 63.* urticam non urere, sed pungere, ideòq; etiam à Græcanico *νύσσω* Nessel/ fuisse nuncupatam. Confer quoque *D. Schenckii marathrolog. p. II. c. 3.*

De *lanuginosis* plantis latissimus hîc sese nobis aperiret campus, sed brevitatis studio enumerabimus saltim singulares quasdam singularium lanuginum historias. Sic grata & adspectu, & attactu olim erat lanugo illa, quæ bulbo *Tulipæ de Alepo* adhæsit, quamque in horto Medico A. 1661. aluit Lipsiæ *B. D. Ursinus*, eamque Programmate publico spectatoribus intimavit & posteà monstravit, quæ dissecto bulbo, ita artificiosè cuticulis bulbi internis fuit annexa, ut apud omnes admirationem pareret non vulgarem. Sic norunt curiosi, (id quod tamen artis non naturæ opus est,) ex plantis lanugines præparare egregias, & medicinæ, & œconomiæ apprime utiles. Ut jam de aliis nihil dicamus, admirabilitatem habet, quod Japonenses ex certâ quadam plantâ norint tenellam præparare lanuginem, quam sub *Moxæ* nomine vendunt, quamque certo modo, certaque figura in podagra consummatissima feliciter adhibent, quo de *Buschovii* tractatus videri fusius potest, qui verò processum reticuit, mecum autem per literas communicavit *D. D. Wedelius, qui artemisiæ rubræ lanuginem* esse eam retulit. Sic sunt ex curiosis, qui eadem facilitate, seu felicitate, usi sunt gossypio vulgari, quod in aquâ nitrosâ prius probè maceratum, de hinc iterùm exsiccatum in formâ py-

Ad

oly

Fig. I.
Spongia Cynosbati Allii facie.





VIII.
A. Spon ati Coronæ
C. Ov ermula.

Fig. V
Spongia Cynosbati petiolo folij adnata.





pyramidali, seu digitabuli minoris intus cavi, loco dolenti applicāt, & desuper id accendendo, vesicam subtus excitari vident, perindè, ac si uterentur arcano Japonensium illo antipodagrico tantoperè commendato.

Articulus VI.

I.

De Spongiis Cynosbati.

SUMMARIA.

Synonyma spongiarum quædam repetuntur. Cur capita fuere dicta? sententia autoris. Descriptio spongiarum. Explicatio ejusdem. Quid sint propriè spongiæ Cynosbati? Figura spongiarum communis. Figuræ aliquot earum singulares recensentur. Color earundem qualis? Differunt invicem colore. Odor quoque variat. Magnitudo etiam diversa est. Cur quandoque nullæ spongiæ in Cynosbato inveniantur? Ratio. Quando & quomodo spongiæ nascantur? Differunt spongiæ Cynosb. ab aliis fungis. Dilucidatur. Spongiæ Cynosbati præcedaneos habent suos flores. Probatur. Florum talismodi color. Sunt nidus ovulorum, in quibus vermiculi custodiuntur. Sunt quasi nova plantæ. Callosa substantia spongiarum quæ? Interdum nullos continent alveolos. Alveoli referunt ovula com-

combinata. Probatur. Ovulorum horum varia structura, varius positus est. Exempla. Spongiæ Cynosbati interdum sunt continuæ, interdum divisæ. Digressio ad alios fungos, sambuci nempè, sorbi aucupariæ, juniperi &c. Eorum usus medicinalis.

IN superioribus, cum de Onomatologia *Cynosbati* ageremus, etiam de spongiarum Synonymis, aliisque earum attributis quædam diximus. Restat nunc, ut earundem naturam & genesin justo ordine quoque perpendamus. Non absurdè igitur dictæ sunt, ceu inibi monuimus, pilulæ hirsutæ, ab asperitate & villositate sua. Sic excrescentiæ spongiosæ quoque fuerunt dictæ ideò, quòd instar verrucarum, seu tuberculorum, fruticis ramulis adhæreant. Capita quoque nuncupatæ sunt, quòd tùm ratione globositatis, tum ratione protuberantiæ extra folia; tum ratione criniformis musci, quodammodo ea referant. Nàm si dicere vellemus, quæ nostra mens sit de *spongiis Cynosbati*, signaturæ intuitu, quàm cum capitellis habent non inconcinnam, affirmare allubesceret, spongias hasce cum capitulis hoc habere commune, (1) quod ratione figuræ rotundioris rotunditatem capitis referant. (2) Quod muscus ille villosus & intricatus, capillos seu crines præsentet. (3) Quod corpus infra crines callosum & crustaceum, cal-

calvariam & alveoli cum vermiculis, cerebrum ejusque ventriculos, æmulentur. Unde forsan quoque factum, ut capitis insigniter juvare affectus existimarentur.

Hinc definimus, quod *spongia Cynosbati* sit muscus quidam comosus, utplurimum rotundus, in meditullio continens alveolos præduros, vermiculari sobole instructos, in usum humanum à Deo, obstetricante Natura, natus. *Muscum* dicere voluimus, ideò, quod adhibitâ ejus per microscopium anatome, manifestô indicio pateat, extimam hujus spongiæ faciem nihil aliud esse, quàm conglomeratum quoddam corpus ex fibrillis villosis, muscum subtiliorem referentibus, artificiosè conflatum, perplexis ita invicem fibrillis, ut tricas diceres. Posuimus in meditullio contineri alveolos cum vermiculis. Nec forsan absurdè. Nam remove muscum illum capillosum, levi negotio animadvertes substantiam quandam callosam, crustaceam & lapidosam. Effringe hoc corpus, & multas cavernulas, alveolos, cellulasque in eo invenies affabrè factas, & vermiculos modò viventes, modò jam emortuos, asservantes. De spongiarum usu in medicina infra acturi sumus.

De *figura spongiarum Cynosbati* annotamus, ex antecedentibus notum esse, spon-

spongias has referre capitella, intricatis crinibus stipata, esse easdem quasi verrucas seu tubercula *Cynosbati*, esse etiam villositate suâ asperas. Proximum jam erit, ut alias complures, magisq; curiosas, quibus interdum conspiciuntur, spongiarum figuras quoque sistamus. Invenias itaque

(1) Spongiam *Cynosbati* quandoq; non continuam, sed veluti divisam (wie Zehen am Knoblauch) singulis appendiculis quidem facilè dignoscendis, & ab invicem sine læsione alterius separandis, interim tamen spongiâ ob villosos crines unum corpus præsentante.

(2) Videas quandoque *spongiam* ex apice ipsius fructus *Cynosbati* pronascentem, & protuberantem instar novi germinis, miro naturæ quidem lusu, egregiô tamen oculorum delectamento.

(3) Sic quædam ex *spongiis*, nobis pariter id observantibus, in apicibus, sive extremitatibus foliorum, nascuntur, ita tamen, ut immediatè absque ullo petioli interventu apici adhæreant.

(4) Ita etiam ex observatione nobis constat, quasdam *spongias* interdum in medio folii pariter sine petiolo conspici.

(5) Aliam videri contigit, quæ petiolo folii cum petiolo proprio erat adnata.

(6) Artificiosam invenimus quoque *spongiam*, cujus anfractus folia *Cynosbati* per-

permeabant, & extra ſpongiam aſſurgebant.

(7) Alia non ita pridem *ſpongia* ſe nobis obtulit, quæ diviſa veluti duobus diverſis ramulis accrevit, poſtmodùm verò creſcentibus ambobꝰ in unum corpus coaluit.

(8) Sic noviſſimè etiam nobis transmiſſa fuit *ſpongia Cynosbati* oppidò egregia, arteque quaſi concinnata, quæ imaginem referret coronæ, ſeu ſerti, cujus circulo undiq; globuli muſciformes erant adnati, ita, ut quivis globulus ſeorſim potuerit conſpici. Media verò pars hujus coronæ erat inſtar laminæ lignoſæ (wie eine Krantz-ſchiene) ex cujus centro petiolus ſatis longus deorſum verſus deſcendebt.

Quo *colore* ſint præditæ *Cynosbati ſpongiolæ*, ſi quæris, en tibi ſatisfaciet *Cardanus l. 6. de rer. variet. c. 22. p. 211.* communicante hoc *Dn. Lic. Garmanno* in literis ad nos datis, cùm ait, cynorrhodo adnaſci ſpongiolæ in modum lutei quiddam friabile, adeò, ut farinam referret. Erat autem ſplendidiſſimi coloris &c. *Hieronymus Bock in herbar. part. 3. c. 19. p. 364.* coloris ruffi eſſe autumat, quâ facie & nobis non ſemel apparuerunt, præſertim vetuſtiores. *Alias tamen quoque nobis videre contigit ex viridi-rubicundas, alias etiam viridiuſculas tan-

tantùm. Differunt namque colore, prout juniores, prout vetustiores, fuerint.

Odor quis qualisve *spongiarum Cynosbati* sit, respondebit *Casp. Swenckfeld d. stirpib. Siles. p. 184.* ubi mellis odorem easdem spirare docet. Odoris suavissimi esse *Cardanus* l. c. pronunciavit. Quæ omnia intelligas velim de junioribus, non autem de vetustatem expertis, quippè quæ odoris sunt sylvestris, & minus gratiosi, ob exhalantes particulas balsamicas, quibus juniores aliàs copiosè pollent.

Sic *magnitudo spongiarum Cynosbati* non una eademque est. Inveniuntur namque majusculæ & minusculæ. Vidimus non nullas, quæ mole poma majora referrent, vidimus quoque alias, quæ nucum avellanarum magnitudini vix responderent.

Cynosbatum ferre spongias non uno hactenus paragrapho diximus. Quæ autem sit causa, ob quam ne ullam quidem in frutice interdum invenias, quod aliquoties nobis obtigit, breviter annectemus. An respondendum, non omnem cynorrhodi speciem aptam esse ejusmodi spongiis ferendis? An dicendum, in singulis quidem *Cynosbati* fruticibus rudimenta spongiarum poni, sed vel ab insectis depasci, vel aliter consumi? An opinari licebit, in quibusdam *Cynosbati* fruticibus magnam

esse

esse succi nutritii penuriam ob sterilitatem terræ, in quâ nascuntur; cum notum sit, spongias v. g. sambuci, juniperi &c. nihil esse aliud, quam superfluitates quasdam succi nutritii per circulationem ad extra amandatas? Utra ex his ratio melior, arbitrum te interpone.

De modo & tempore tùm germinandarum, tùm augmentandarum *spongiarum*, quædam quoque dicenda veniunt. Præmittimus autem *Cynosbati spongias* cum illis, quæ in sambuco, betula, sorbo, junipero &c. nascuntur, nihil habere affinitatis, cùm nihil aliud esse dicantur, quam succi nutritii luxuriantis quædam proles, instar verrucarum, seu steatomatum fruticibus adnatorum. Sic etiam ab aliis tuberibus differunt *spongiæ Cynosbati*, quia illa nec florem habent præcedaneum, nec foliis, vel ramulis per petiolos peculiares adnascuntur, nec talia habent organa nutritionis, quibus juxta *Kergerum d. ferment. p. m. 47.* pro vita & nutritione non indigent; quia non ita crescunt, ceu de fungis aliis differit *Sennertus d. consens. & dissens. p. 207.* quòd illorum succus radicibus arborum affusus novos proferat. Hinc, ut ad scopum redeamus, dicimus spongias *Cynosbati* appropinquante Vernali tempore, & tepore, cùm *Cynosbatos* germina sua protrudere inci-

cipit, & ipsas ortus sui pariter præsentare rudimenta, nempè flosculos quosdam hinc inde cum foliis, vel petiolis, ramulisve eorundem, maritatos, egregiæ formæ, quâ flores nucum avellanarum rubore suo gratioso non obscurâ similitudine referre, & quasi criniũ instar sese spectandas præbere solent, quos non semel magno oculorum mentisque oblectamento vidimus. Hi ipsi flosculi criniti, eleganterque rubicundi sensim se explicant, & in hac suâ teneritudine ovula illa, futura vermiculorum alvearia, recipiunt, cum quibus per æstatis curriculum augentur, & circa autumnum perfectionis metam attingunt. Hinc colligere omninò licebit, spongias diversum quid esse à *Cynosbato*, & quasi plantam in planta, ceu de Gallis olim *J. B. Porta in Phytognom. p. 400.* sensit; & *Dominus Garmannus* in literis ad nos datis auguratus est.

Externâ *spongiarum Cynosbati* facie considératâ, quoad capitellum illud villosum, aliasque circumstantias, removebimus jam capillamenta ista, visuri nunc ipsam mineram callosam, seu durum lignum, ut loquitur *Adrianus Spigelius Isagog. rei herb. l. 1. c. 7. p. m. 41.* in quibus alveoli seu cavernulæ vermiculis suis quasi incolis instructæ. Ubi autem mox in conspectum veniet globosa substantia quædam, prædura, difficulter frangenda, nisi vel cutelli ope eandem di-

dividas, vel malleolo contundas, quod corpusculum crustaceum ita divisum complures communi[illegible] alveolos exactè rotundos, quoad internam superficiem quasi politos, firmissimoque invicem nexu conjunctos, tibi monstrabit. Quanquam experimento quodam olim didicimus, vidimusq; in spongia majore à nobis dissectâ, (Fig. 1.) nullos in eadem fuisse alveolos, nullosque vermiculos, licet rarum hoc sit contingens, & ob id inter singularia reponendum. Hos alveolos si exactè intuearis, & impigrâ mente trutines, videbuntur æmulari copiam *ovulorum* quandam tàm arctè invicem combinatorum, ut ea ipsa unum quasi corpus continuum primâ fronte diceres. Quos tamen alveolos antea seorsim extitisse, & *ovula* repræsentasse, postmodùm naturæ ductu in unum quasi corpus coaluisse, argumento erit satis firmo, quod aliquando in quadam *spongia* artificiosè conflata, ob folia, per totam ejus compagem dispersa, cujus schema æri incisum suprà delineatum videbis, invenerimus foliolo cuidam adnatum globulum quendam instar *ovuli*, magnitudine seminis cannabini, quod à nobis cultello dissectum vermiculum, per omnia similem illis, quos in aliis alveolis cernere licet, in sinu suo fovit, hac tamen discrepantiâ, quod

ovuli hujus cortex non ita durus, ac alio-rum alveolorum fuerit, ſed cultello facilè auſcultaverit. Sic in al[illegible]*pongiæ* ſuperficie offendimus iterùm *ovulum* quoddam hirſutum, tricis illis implicitum, ſolitariumq́; in quo nullus præſtò erat vermiculus. Sic vidimus ovula in *ſpongia* quadam, (Fig.II.) diſperſa, attamẽ beneficio muſci criniti admirabili modo connexa, levi tamen operâ ab invicem ſegreganda. Obſervavimus itidem in alia (Fig.III.) *ovula* ita arctè invicem coalita, & coadunata in unam ſubſtantiam quaſi lapidoſam, ut ſeparari recuſarent, & alveolos multos cum vermiculis præſentarent, perinde ac in alveolis, in quibus apes mel colligunt ſtipantq́ue.

Nec ſilentio involvendum hîc exiſtimamus, licet *ſpongiæ Cynosbati* utplurimum unum corpus continuum referant, experientia tamen conſtare pariter, id ipſum quoque non rarò conſpici diviſum, wie Knoblauch-Zehen / ſingula parte proprios fovente & oſtendente alveolos cum vermiculis. Nec prætermittendum erit, quod in una eademq́ue *ſpongia* (Fig.IV.) ſæpenumero vidimus tùm majores & piſi magnitudinem æquantes alveolos, tùm minores ſimul, milii granum referentes, ſingulos tamen vermiculis inſtructos.

Poſ-

Alveoli in spongia Cynosbati variæ magnitudinis et formæ. Fig. IV.



Alveoli in spongia Cynosbati firmiter concreti Fig. II.



Alveoli in ſpongia Cynosbati ſeorsim exiſtentes. Fig. III



Spongia Cynosbati ſine alveolis. Fig. I.



Possemus hoc loco occasione fungorum latius excurrere, & alios in medicina usuales sub examinis incudem revocare, sed memores brevitatis dicemus saltem de aliquibus, nempè de *sambuci spongiola*, quòd commendatione *Blochwizii in anat. sambuci* insigne præbeat antepilepticum, & antihydropicum. Sic *sorbi aucupariæ* fungus, qui rarissimæ alioquin invẽtionis est, mira præstat ex observatione nostrâ in dysenteria, epilepsia, aliisque morbis gravioribus, hinc vulgò maximis in delitiis. Consimilem in modum de *fungo juniperi* novimus, eundem in vitro ad radios solares in liquorem redactum, ingens arthriticorum & paralyticorum esse solatium, præsertim si cum axungia cochlearum hortensium, nigricantiumq; formicis & lumbricis terrestribus in compositum redigatur *liquorem*, quo ipso Agyrta quidam in vicinia prædictis in affectibus mira præstitit.

II.

De Vermiculis Cynosbati.

SUMMARIA.


Vermiculi in spongiis Cynosbati dicuntur quoque tineæ. Inquiritur in locum natalem eorundem. Alveoli sunt. Non in quovis alveolo invenies vermiculos, nec in quovis viventes.

 Fi-

Figura vermiculorum qualis? Differunt ab aliis tineis. Per microscopium inspecti quales sint? Modus generationis eorum valdè obscurus est. An ex putri? Experimenta vermium ex ☉o fl. sambuci destillatorum, ex fructibus Cynosbati conquassatis, itemq; ex aliis natorum. An perinde, ut insecta ex Mehltau *oriantur? negatur & explicatur. Recitatur sententia Redi & Malpighii de ortu eorum. Autoris conjectura. Quando nascantur vermiculi hi? Quamdiu contineantur in alveolis? Quâ vivant vitâ in alveolis? sententia Garmanni, autoris &c. Quomodo alveolis relictis in auras avolent? Explicatur. Sententia D. Majoris & autoris. An in cantharides, seu muscas, seu aliud insectum mutentur? Disceptatur. Quomodo fiat talis transmutatio? ℞. dupliciter. Illustratur experimentis tùm aliorum, tùm propriis. Reperiuntur in alveolis & alia insecta interdum. Explicatur. Observatio autoris. Prognosticon de insectis &c. in Gallis repertis. Epicrisis Garmanni.*

ET hæc de *spongiis Cynosbati* hactenus. Sequitur per rerum ordinem jam, *Vermiculos* in minera sua latitantes, curioso quoque oculo inspiciamus. Ubi in antecessum

Cantharides alveolos effrangentes et avolantes.



Vermiculus in semi-cantharidulam mutatus.



Vermiculus Spongiæ Cynosbati.



Vermiculus jam cantharidula factus.



[illegible]

ſum præmonendum duximus, vermiculoshosce vocari ſubindè etiam tineas. Hinc ſiin diſcurſu noſtro vocabulum tinearum fortè occurrat, vel apud autores id legas, ſcias velimus, tineas & vermiculos *Cynosbati* ratione nominis eſſe unum idemque.

Quibus præmiſſis actutùm inquiremus in vermiculorum generationis & aſſervationis locum. Quem ſpretis ambagibus dicimus caveraulas, ſeu alveolos iſtos, in quibus ceu carceribus incluſi deliteſcunt. Nam extra illos nulla licuit hactenus obſervare loca alia, nullaque ſpatia, in quibus primordia generationis ſuæ ponerent, ſed in iiſdem, ceu matrice & generantur, & foventur. In quibus autem nunc *majores*, nunc *minores* reperire licet, pro amplitudine ſeu capacitate alveolorum iſtorum, quos magnitudine ſæpenumerò differre ſuprà oſtendimus. Sic meminiſſe quoque debemus, quæ obſervatio noſtra eſt frequenter celebrata, *vermiculos* non in quovis alveolo, nec in quovis viventes, ſed in multis emortuos, & tabe conſumptos inveniri. *Accedit*, quòd unum ſæpè alveolum, & mortuum & vivum, aſſervaſſe vermiculum, aliquando viderimus.

De *figurâ vermiculorum*, qualis illa ſit, ſi quis curioſè diſquireret, illi reſpondebimus, eandem non ita multum differre à

forma tinearum, quas caseus & generat & fovet. Utræque enim & albedine, & circulis suis per corpusculum sunt conspicuæ. Hoc tamen nostri vermiculi ab illis habent discrepantiæ, quod communiter albicantiores, quòd casei saporem odoremq; non referant, quòd ob cellulæ spatium amplius non acquirant corpus; cum contrarium facilè liceat videre in tineis casei, pomorum, pyrorum, aliorumque fructuum, quæ in dies majorem acquirunt molem, perniciosa fructuum pestis. Sed hæc obiter.

Alias *vermiculi spongiarum* per microscopium examinati apparuêre inferiori corpusculi parte multis pedibus, circa totum verò circulis multis, & in superficie corpusculi tuberculis quasi notati, cæteroquin per totam substantiam villosi, ceu icon exhibebit sequens. Quâ etiam figura intuentibus nobis non ita pridem apparuêre vermiculi in *gallis*.

In alveolis suis & nasci & asservari vermiculos hosce, jam in aprico est. Modus autem, quô nascuntur, non æquè obvius est. *Vermiculos* hinc indè videmus, verum autem generationis modum nescimus. Dicimus verum; nam licet benè multi hanc adire Corinthum ausi fuerint, pari tamen felicitate eandem non sunt adsecuti. Insectorum genesin ex putri deducunt Stagiritæ consecranei, sed non ubique

que

que pari cum ſucceſſu. Novimus equidem ex fimo equino naſci Scarabæos, ex ligno teredines, ex aliis alia inſecta. Sic compertum habemus, ex magmate, ſeu ☿o *florum ſambuci*, poſt deſtillationem ſpiritus reſiduo, natas aliquando fuiſſe muſcas ruſſas, copioſiſſimè, & quaſi agmine facto ☓ adhærentes. Sic per experientiam quoque cognitum habemus, *fructus Cynosbati*, cum fermentandi gratiâ vaſe clauſo per aliquot hebdomadas fornaci calidæ admoviſſemus, in ſuperficie maſſæ viſos fuiſſe vermiculos tales, quales in *ſpongiis Cynosbati* viſendi ſunt, itemq́ muſculas circa ora vaſis volitantes, pares illis, quas olim ex vermiculis ſpongiarum naſci vidimus. *Sic* aliquando ex rore marino, corylo, fabis &c. vermiculos, ſeu muſculas ſui generis natas eſſe, plantâ licet ad putredinem nondum proclivi, obſervavimus.

An perindè generentur vermiculi tales, ac inſectula iſta, ex pluvia illa farinæ melliſve æmula, Meel- oder Honigthau dicta, quæris. ℞. non videtur. Nam pluviam illam non quovis anno, nec ſtato anni tempore ſtillare videm⁹, & ſi vel maximè animadverteres eandem, non ſemper tamen inſectorum materiam præbet. *Spongias* autem haſce ſingulis annis, quacunque etiam tempeſtate illi gaudeant, vermiculos

los iſtos ferre experientia docet. Adde, quòd inſecta ex pluvia illa nata à noſtris in hoc quoque differant, quòd fructus ab extra penetrent, erodant, & cuniculos in eis agendo depaſcant. Contrarium autem videbis in vermiculis *ſpongiarum Cynosbati*, qui & à nativitate ſua alveolos inhabitant ſuos, & in eis vivunt, nec ſubſtantiam ſpongiarum conſumunt, nec non niſi ſtato tempore, foramine facto, in auras abeunt. Sunt ex Curioſorum orcheſtra, qui vermiculorum in plantis geneſin ſemini cuidam ope *punctura* illis communicato adſcribunt, ceu *Franciſcus Redi d. generat. inſect. p. 236.* autumavit. *Malpighius* autem *Anatom. plant. id. p. 10.* conjectatur, *Gallas* & ſimilia eſſe nidum conjecti illuc ovi, vel vermiculi à parente animali, nequaquam verò à planta. Sic *Redi* citatus, id quod olim per literas mecum communicavit *Dn. Lic. Garmannus*, ait, non ex putri generari muſcas in gallis, ſed deſtinatione quadam naturæ; ſcilicet in centro gallæ ovum inveniri, quod creſcente galla & ipſum creſcat, & cum eo quoque vermem, qui ubi ad maturitatem pervenerit, inſtante nativitatis ſuæ, aut veriùs transmutationis termino, in muſcam mutatur, quæ ovo diſruptô rodere illam incipit, & ſibi ſic viam parat &c. Quô etiam animo & nos ſumus de genera-

ratione vermiculorum *Cynosbati*. Nàm quid, quæso, alveoli illi, quibus ceu carceribus includuntur, aliud sunt, quàm congeries quædam plurium ovulorum illîc congregatorum, & in unum quasi corpus compactorum. Rem ita esse suprà sub spongiis dilucidè, putamus, enucleavimus. Accedit, quòd aliquoties *ovula* quædam in superficie spongiarum invenerimus, musco illi crinito inhærescentes, qui vermiculum intus aluerunt. A quô autem illa *ovula* sint exclusa, & quomodo spongiis istis communicata, nemo facilè dixerit. Res obscura est, nec sine Oedipo enucleanda. Sic & cum gallarum tineis hoc vermiculi *Cynosbati* habent commune, quòd in muscas mutentur, quod rupto ovulo, seu alveolo, tandem in auras abeant. Singularis cæteroquin sententia est *D. D. Volckameri*, Collegæ honoratissimi, quam novissimè per literas nobis exposuit, scilicet, vermiculos in *Cynosbato* commorantes ejusdem esse farinæ cum aliis, in baccis populi nigræ, dipsaco, & gallis quercinis, insectis, eosq; pro excrementis habendos esse, vitamq; ex aurâ aëri inclusâ, roscidâ illâ, sole splendente concipere. *Hæc ille*.

Visâ sic qualicunque vermiculorum in *spongiis Cynosbati* reperiundorum genesi, consequens jam erit, ut in temporis quo-

que

que ſpatium, quò naſci ſolent, inquiramus. Dictum in antecedentibus fuit, cum ipſa ſpongia germinãte ſtatim & vermiculos hosce ſua naſcendi tempora conſequi, & creſcente indies ſpongia, & ipſos unà creſcere. Notari tamen meretur, ſpongia adhuc juniore exiſtente, & ipſos eſſe minutiſſimos, oculoſque facilè ſubterfugere, niſi microſcopii acumine utaris. Adultâ verò, & ad juſtam molem, quam natura ſpongiæ huic, vel illi deſtinavit, perductâ ſpongiâ, promptius in oculos incurrunt, & reſeratis clauſtris ſeſe ſpectandos præbent, id quod in & poſt autumnum fieri conſuevit.

Quamdiu vermiculi hi in alveolis contineantur ſuis, vivant, & degant, quæris? Reſponſio in promptu eſt, vermiculos hosce, quos inſtar embryonis in utero ſe habere diximus, ſua quoque tempora habere excluſionis, ſeu parturitionis. Per totum namque hyemale tempus, ad vernale ſolſtitium, vel ultra quoque ad Aprilem, & Majum, in cavernulis ſuis commorantur, niſi injuria aëris obſtiterit, niſique vi quadam ante iſta tempora è clauſtris ſuis eximantur. Hinc redeunte veris tepore, in alveolis ſuis, depoſitâ priſtinâ veſte, & mutatâ vermiculorum figurâ, in *muſcu-*

las,

las, seu *cantharidulas*, elegantissimâ metamorphosi abeunt, in auras posthàc abituri.

Quâ vitâ vivant vermiculi isti per totam hyemis inclementiam, in claustris suis, omni propè nutrimenti aditu interclusi, non absurdum erit pariter sciscitari? Mira namq; res est vivere, & nullo potiri nutrimento, cùm nutritio & vita pari ambulent passu. Vermiculos hosce omnimodo carere nutrimento, probare poterit alveolorum firmissima compages, quæ apta non est quicquam vel humoris alimentarii, vel aëris admittere. Sic nulli in alveolis quoque meatus conspiciuntur istis, per quos talis nutrimenti communicatio peragi posset. Neque in ipsa alveolorum cavitate quicquam humoris unquam advertere licuit. Cùm vice versa vermiculi in pomis, nucibus avellanis &c. ex ipsa fructuum substantia nutrimentum hauriant suum, quod videre est ex consumtione pulpæ istorum fructuum intus per cuniculos factâ. Sic neque in gallis, quod studiosè observavimus, ejus firmitudinis alveoli reperiuntur, cujus in spongiis *Cynosbati* sunt, hinc vel humoris, hinc vel aëris quicquam haut difficulter per poros gallarum haurire, & sic se sustentare possunt. Spinosum hocce problema cùm *Dn. Garmanno* nostro per literas significaremus, respon-

ſpondit, vermiculos eâdem vivere vitâ in alveolis, quâ pulli in ovo. Cui ſententiæ & nos accedemus, ſi pariter in parentheſi velut annexerimus, in primâ ſpongiæ germinatione, alveolorumque fabrica, ſtatim aëris quicquam in eos ſe inſinuare, qui inibi occluſus fœtui illi, vel inſectulo vitam continuare facit.

Quomodo vermiculi talismodi vere, cavernis relictis, in auras abeant, & è carceribus ſuis liberentur? An dicendum, duplici ratione id fieri, unâ, quando proprio niſu propriisque viribus, ſuperatis totidem menſibus, quibus in alveolis, ceu uteris continebantur, & appropinquante partus tempore, clauſtra illa reſerant, & diſcedunt: alterâ, quando alveoli antehàc præduri compactique, per pluvias, nives, &c. friabiles redduntur, ut quaſi dehiſcant; hinc ſi occurrat hoc adminiculum, non difficilis erit tranſitus & excluſio vermiculorum. Parilem in modum, quo videmus in gallis, quæ hyemis injurias diu perpeſſæ altero anno evadunt friabiles & poroſæ. Cantharidulas autem ipſas domus ſuæ effractrices fieri, & eſſe, conſentit *D.D. Major in Genii errant. c. 9. N. 3.* Sic vidimus & nos in ſpongia unius anni periodum expertâ, foraminula rotunda in alveolis veluti à teredine factâ, & ab alveolorum centro

tro per spongiæ substantiam ad superficiem usque continuata. Sic annectendum quoque erit, vermiculos adhuc tineæformes ante metamorphosin in cantharidulas, foraminum horum haut moliri fabricam, sed quando jam in cantharides, seu muscas abierunt, id quod in gallis observavimus, quæ sæpè per totam superficiem foraminosa apparent.

In cantharides seu musculas, vermiculos *Cynosbati* per hyemem quasi sepultos, instante vere, transmutari, hactenus in transitu quasi diximus. Quam asserti veritatem confirmabunt quoque *Adrianus Spigelius Isagog. rei herb. p. m. 41. D. D. Major in genio errant c. 9. H. 3.* Quo loco ex *Aldrovando d. insect. l. 6. c. 4. p. 685.* meminit, *Aristoteli* & *Plinio* quoque ex animalculis istis cantharides cognitas fuisse, ab *Aldrovando* tamen nondum observatas. Vidimus & nos ejusmodi vermiculorum in cantharides, seu muscas, quod *Hartmanno in not. ad Croll. basilic. chym. p. m. 431.* placet, jucundam metamorphosin, quâ de olim in *Ephemerid. German. A. III. Obs. 217. p. 398.* egimus. Sic in gallis pronuper vermiculum in formicam alatam, grato virore pictam, magnitudine eine Essig-Fliege æmulantem, egregiè transfiguratum vidimus.

Porrò non injustè fecerimus, si pariter in rei modum, quo nempè talismodi transmutatio fieri assolet, inquiramus. Quo loco mox præmonuisse juvabit, hanc metamorphosin duplici ratione celebrari, unâ per Naturam, per artis opem alterâ. Quæ naturam habet obstetricantem, ea peragitur in ipsis alveolis proprio naturæ nisu, nullâ ab extra accedente artis industriâ. Hinc tempore Veris, antequàm repagula reserant sua, & in auras avolant, visæ sunt muscæ, vel araneæ exinde natæ, affirmante *Hartmanno in not. ad Croll. p. m. 432.* Quæ verò artis adminiculo fit vermiculorum in cantharides mutatio, itidem duplici se habet modo; Aut enim vermiculi ex cavernulis exemti, & scatulæ inclusi in calore hypocausti per hyemem, absque ullo additamento pabuli, asservantur, qui deinde vere instante spontè sua in muscas minores transmutantur, ceu nos vidimus, & literis quoqúe *in Ephem. Germ. Ann. III. Obs. 217. p. 398.* consignavimus. Aut, postquàm vermiculi fuerint exemti, certi generis pabulo pascuntur, sicuti *D. D. Major* l. c. fecit, qui pastam ex saccharo, farina cum spiritu roris irriguam paravit, eamque pro pabulo ipsis subministravit, quô grandiores facti sensim rudimenta alarum acquirere, & figuram totius corporis mutare cœperunt,

&

& pulcrè demùm pictæ, rutilantes, corniculatæque cantharides fieri visæ sunt. Cui propriam jungimus observationem ex *Ann. III. Ephem. Germ. p. 398.* hîc repetendam. Scilicet postquàm vermiculis talismodi per hyemem solum pulverem spongiarum *Cynosbati* substravimus; cœperunt circa Aprilis mensem immutari, ita, ut musculas quasdam jam perfectas, omnibusque numeris absolutas inter vermiculos nondum transformatos oberrare, nigricantiores, alatos, rostratos, pedibusque sex stipatos, alios autem nondum perfectè mutatos ex una parte adhuc albicantes, tinearumque in modum sese moventes, ex altera adhuc rudes, & semimuscas præsentantes, qui tamen elapso uno alteroque die & ipsi in musculas perfectas excludebantur, circa nondum transformatos continuô oberrantes motu, nec volatu se subducentes, sed per aliquot dies vivendo morientes, conspiceremus.

Præter vermiculos & cantharides quandoque etiam *araneas* in alveolis istis repertas esse, scribit *Hartmannus* l.c. In gallis subindè araneas offendi, autor est. *I.B. Porta phytognom. l.6.c.13.p.m.386.* Fatemur non hujus rei nullam habere experientiam. Alatos vermiculos in gallis formicis similes nuper quidem vidimus. Sic *lanuginem* in alveo-

 lis

lis ſpongiarum *Cynosbati* telis aranearum ſimilem, ſors nobis aliquando obtulit videndam, araneas non item. Alia inſecta quoque obſervavit in iisdem *Renodaus in diſpenſator. med. p. m. 260.* Veremur autem, ne, quod de vermiculis gallarum in araneas transmutatis habet judicium *Dn. L. Garmannus* in literis ad nos datis, hoc optimo etiam jure dici poſſit de talismodi transmutatione vermiculorũ *Cynosb.* in araneas, ſcilicet non araneas, ſed formicas fuiſſe.

Coronidis loco capiti huic aſſignare volupe eſt quorundam ob materiæ ſimilitudinem, de hâc vermiculorum in gallis metamorphoſi in araneas, formicas, &c. *prognoſticum*, certè ridiculum, & fabulæ proximum, cùm ita ſomniant; ſi muſca poſt aperturam gallæ volat, futuri belli præſagium id eſſe: Si repit vermiculus, carentiam annonæ; ſi aranea adſit, peſtilentiam ſic denotari, uti præſagit *Jo. Baptiſt. Porta phytognom. l. 6. c. 13. p. m. 386.* cui pollicem premit *Calendariographus* quidam notiſſimus in prognoſtico ad Annum 78. c. 5. ubi regulis hisce addit plures, nempè, ſi nihil in gallis inveniatur, præter humorem aquoſum, annum ſic fore minus fertilem; ſi ſiccæ fuerint, fructiferum, ſi rugoſæ & macræ, ſiccitatem indè ſubſequi. *Hæc illę.* Quod tamen prognoſticon cum *Voëtio*

part.

part. 2. disput. select. p. 1073. rectè vocat regulam Sylvani prælaudatus *Dn. Garmannus.*

CAPUT III.

De Descriptione Cynosbati.

SUMMARIA.

Descriptio Cynosbati ipsa. Explicantur Genus & differentia specifica cum aliis adjunctis.

EX dictis hactenùs vel spontè elici poterit *Cynosbati* descriptio, quam sequentem damus: *Cynosbatos est frutex de genere Rosarum sylvestrium oriundus, præter baccas rubentes etiam spongias capillosas ferens, singularisq; tùm in Medicina, tùm Oeconomia usus.*

Generis loco posuimus, quòd frutex sit. Et omninò res ita habet. Quô ipsô statim hîc abesse jubemus *Cynosbatum* proceram arboreamq;. Vide, quæ hanc in rem suprà disputavimus sub forma.

Inter Rosas sylvestres locum habere *Cynosbatum* abundè patebit tùm ex Etymologico *Cynosbati* discursu, tùm quæ de floribus, & alibi fusiore stylo prosecuti sumus.

Præter baccas rubore conspicuas *Cynosbatum* quoque spongias ferre, etiam suis locis fuit dictum; ut & de usu ejusdem medico & œconomico.

LIBER III. PHARMACEUTICUS.

CAPUT I.

De Præparatis ex Floribus Cynosbati.

SUMMARIA.

Aqua florum Cynosbati quomodo præparetur? Quæ spiritus destillatio? Conservam & Sirupum parandi ratio.

I.

De Aqua.

A præparatione Rosarum sativarum parum, vel nihil discrepat. Et qui illam præparare novit, illi nec obscurus esse poterit & hanc destillandi modus. Fit autem communiter ex floribus *Cynosbati* cœlo sereno, nec rore madidis, collectis, qui prius incisi, conquassatique dolio immittuntur, adjectô pariter momento fecum vini, ad fermentationem accelerandam. Postquàm igitur aliquandiu materia stetit, odore gratô acidulo simul observato, destillatio potest celebrari ex cucurbitâ, vel vesica, ut artis est.

De

II.
De Spiritu.

SI ſpiritum diſcupias, primam partem aquæ ſuperioris ſeorſim collige, & ſpiritum grati odoris, diverſi tamen quodammodo à ſpiritu Roſarum domeſticarum, impetrabis. Quem ſi deſideres excellentiorem, reaffunde eundem novis floribus, & iterùm deſtilla, & ſpiritum, qui primò transſcendit, collige.

III.
De Conſerva.

ELegans ad ductum aliarum è Roſis ſativis poterit præparari, ex ſacchari nempè depurati ſ. q. cui flores *Cynosbati* minutiſſimè prius conciſi, & contuſi addendi, & ſ. a. in Conſervæ formam redigendi. Vires æquabit, an ſuperabit conſervæ roſarum antiquæ ob ſingularem vim adſtringendi.

IV.
De Sirupo.

IN uſu quidem non eſt officinis, quantum novimus; Quandoquidem verò flores *Cynorrhodi* majorem adſtringendi vim poſſident, non abs re fore putamus, ſi pro ſirupo è Roſis ſiccis communiter ſic dicto ſubſtitueretur. Hinc ad exemplum

istius poterit præparari ex succo florum *Cynosbati* cum sacchari f. q. & in sirupum efformari.

Caput II.

De Præparatis ex baccis Cynosbati.

Articulus I.

De Medicamentis ex pulpa.

SUMMARIA.

Aquæ ex baccis Cynosbati præparatio. Duplex est. Fermentatio quid? Spiritus bacc. Cynosbati quomodo præparetur? Familiaris est quibusdam locis instar spiritûs vini. Spiritus ex sorbo aucuparia. Tinctura è baccis Cynosbati. Tinctura nephritica vegetabilis Autoris. Alia ℞a ex Roob Cynosb.♂tiali. Elixirii Cynosb. descriptio. Alia D. Wedelii & Autoris. Acetum baccarum Cynosbati. Vina medicata ex baccis Cynosbati juxtâ Glauberum quî paranda? Aliæ potiones ex baccis. Fermentata ex variis fructibus D. Michaelis. Laus vini Cynosbatini propriè sic dicti. Quomodo sirupus, & Electuarium ex fructibus Cynosbati paranda? Roob fructus Cynosbati quale? Multiplex ejus præparatio. Conditum fructus Cynosbati quale? ⊖ essentiale ex fr. Cynosbati quomodo impetrandum? Mentio fit Salis acetosellæ essentialis. Differunt ⊖lia Essentialia juxta Glauberum.

I.

De Aqua.

EAque vel *ſimplici*, quæ more aliarum, quas ſimplices vocant diſpenſatoria, aquarum deſtillatur. Nempè adſumito fructus *Cynosbati* benè maturos, quos in mortario conquaſſa, affunde pauxillum aquæ communis, & in veſica ſ. a. fiat *Deſtillatio.* Vel *compoſitâ*, quæ commodior eſt, & plures in annos adſervari poteſt, ſi nempè præparatio fiat cum vino generoſo, eo, qui ſequitur, modo: ℞. *baccar. Cynosbati* maturitatem juſtam adeptarum q. ſ. ſtent in vaſe clauſo per aliquot dies, ut debita fiat maceratio, & quaſi quædam fermentatio. Maſſam deinde cucurbitæ vitreæ committas, & appoſito alembico, vel ex arena, vel MB. medio ignis gradu deſtilles. Hinc vel liquoris dimidium, quod transſcendit, ceu aquam optimæ notæ ſeorſim capias, & reliquam in alios uſus reſerves; vel ad ſiccitatem materiæ uſque aquam abſtrahas, ſi debiliorem eandem expetis. Prior magnarum erit virium in calculo, vel ſolitaria, vel cum aliis ſociata, ceu infrà habebimus.

II.

De Spiritu.

PEr fermentationem, quæ juxta *Morboſium in epiſt. de metallor. transmutat. p. 101.*

tritus quidam Naturæ est, elegans ita paratur. ℞. fruct. *Cynosbat.* benè maturorum, wenn sie teig sind/s.q. quos exemtis arillis côquassabis in vase terreo, hinc admiscebis parũ fermenti, seu cerevisiæ, seu quod commodius observavimꝰ, vini secum, & baculo probè agitabis, ut omnia decenter misceantur. Dein repone vasculum benè lutatum prope fornacem per aliquot dies, postmodum, si odorem acidiusculum observes, massam ex cucurbita vitrea decenti △is regimine, ita tamen, ut ne empyrevma contrahat, destillabis, primò quod exit, instar 🜄 striati, seorsim colliges, ceu spiritum summè rectificatum, qui linguam instar phlegmatis sp ✳ci feriet, & odorem *Cynosbati* proprium reservabit. *Dosis* ejusdem à g. x. ad 50 in vehiculo idoneo. Servit quoque hic spiritus pro Elixirio *Cynosbati* extrahendo, itemque pro Ra è baccis elegantissima elicienda. Ingreditur quoque Tincturam nostram nephriticam vegetabilem, & alias medicaminum formulas.

Sic ex relatione fide dignorum habemus, in Austria familiarissimum esse spiritum *Cyno: b.*, quem loco spiritûs vini passim usurpant ob copiam fructuũ, ibi locorũ nascentium. Pari propemodùm ratione, quâ in *Bohemia, Thuringia* & alibi, ubi juniperus largo nascitur proventu, in usum trahi solet spiritus juniperinus, Wacholder-

wass-

wasser; vel, quando nostris in oris plebeji potissimùm ex fructibus *sorbi aucupariæ*, wenn sie wohl gerathen / per fermentationem spiritum elicere norunt ardentissimum, Eibischbrantewein / quem panacææ loco passim usurpant.

III.

De Tincturis.

Tincturam ex fructibus *Cynosbati* talem paramus: ℞. baccar. Cynosbat. exsiccat. & ab arillis liberatarum s. q. affunde ∀ cum modico ∽ ⊖ *ci fortificati q. s. Stent in digestione per aliquot dies super fornace, postmodùm filtra. Sic Ꝛa elegans, gratique saporis inde resultabit.

Sic cum spiritu baccarum *Cynosbati* in usu quoque habemus *tincturam* quandam titulo antinephriticæ vegetabilis nobilitatam, quæ magnarum in lithiasi virium existit, sæpius quoque à nobis exhibetur, quæ sic fit: ℞. ligni nephrit. optim. q. s. quod post rasuram in pulverem grossum redige, cui affunde spiritus bacc. *Cynosb.* q. s. spiritus ⊖ *ci parum; Fiat digestio & extractio in vase clauso ad calorem fornacis per dies circiter octo, vel plures, liquorem cæruleo tinctum colore sensim decanta, vel per filtrum trajice. Servetur in vase benè munito. S. Stein-Tinctur.

Consimiliter Ꝛ*am* aliam non effætæ

virtutis parare didicimus ex *Roob Cynosbati ♂tiali*, infrà describendo, quæ ita concinnatur: ℞. Roob *Cynosbati* ♂tial. q. s. affunde 🜄, vel cochleariæ q. s. iterum digere, extrahe & filtra. Sic impetrabis *Tincturam ♂. Cynosbatinam*, coloris atramentosi, saporis ⊕lico-dulcis, & virium magnarum in sanguinis impuritatibus emendandis.

IV.
De Elixirio.

Ad mentem *Malvatici juniperini* ita paratur: ℞. *Roob Cynosb.* ℥iij. vini Malvat. canth. ß. misce in vase terreo, vel vitreo, stent in digestione per aliquot dies. Colaturâ per linteum institutâ serva liquorem dictum. S. Hagenbutten-Malvasier / oder Elixir. *Dosis* cochl. ß.

Expertum quoque & multæ utilitatis est *Elixir nephriticum D. D. Wedelii*, per literas olim nobiscum communicatum, quod sequente modo confit:

℞. Roob juniperin. q. s. affuso spiritu anti-nephritico suo (infrà describendo, quem *Cynosbati* arilli & fructus etiam ingrediuntur) extrahatur Elixir elegantissimum.

Elixir compositum in lithiasi valdè proficuum, alioquin in usu nobis est, cujus parandi methodus ita habet: ℞. *Roob. Cynosb.* ℥ij. juniper. ℥j. vini malvat. spirit. juniper.

&

& *Cynosbat.* ãã. q. ſ. M. digere, & poſtmodùm filtra. S. Stein=Elixir.

V.

De Aceto.

Sub claſſe *acetorum* medicinalium in pharmacopoliis non equidem proſtat, parari tamen id ex tempore poterit ex baccis *Cynosbati* exſiccatis exacinatisq́; quibus affundendum erit aceti Vini q. ſ. & dehinc digerendum, extrahendum, acetum tinctum percolandum, atque ad uſum ita ſervandum. Inter embammata & aquas pro pulſibus non ultimi erit uſus.

VI.

De Vino medicato &c.

Vinum *Cynosbati* dicitur, non quod ſoboles ſit vitis viniferæ, ſed quod ratione ſaporis, rationeque quorundam accidentium vini naturam quodammodo æmuletur. Meminit hujus *Glauberus in append. furnor. phil. p. m. 287. & 315.* quo loco non tantùm ex pyris, pomis & id genus aliis; verùm ex fructibus quoque ſylveſtribus, ſcilicet, rubi idæi, cynosbati & aliis baccis, potiones gratiſſimi ſaporis, duraturæque ætatis confici poſſe docet. *Parandi modus,* quem ibidem fuſè communicat, in compendio ſequens eſt: ℞. fruct. v. g. *Cynosbati* ſ. q. quos, vel cum, vel ſine arillis dolio cuidam committe, affunde muſti

ex

ex pyris, vel pomis parati, beneque annosi, ſ. q. Omnia ſic fermenteſcere permitte. Quod ſi verò liquor ejusmodi ex pomis pyriſve confectus non proſtet, & ſuppetat, ſuaſor eſt, ut ſuccedanei loco in uſum vocetur aqua quædam mellita, cum additione Spiritus alicujus ardentis, ubique tamen juſta quantitate obſervatâ, ut potio ſic fiat magis grata, linguæque ob acorem non moleſta.

Pari ratione & nos recordamur in vicinia à ruricolis ejuſmodi potionũ genera concinnari, adhibitis nempè maximam partem ſeu pomis pyrisque ſylveſtribus, ſeu fructibus acaciæ, *cynosbati* & aliis, quos probè conquaſſatos in aqua calida aliquandiu macerant, dolio dehinc committunt, & additâ decente fermenti communis quantitate per tempus non ita longum ad fermenteſcendum reponunt. Impetratô denique liquore gratum ſaporem, muſti æmulum, in uſum vocare eundem occipiunt.

Huc referri etiam poſſe *Fermentata* illa ab *A. Sala in Saccharolog. part. 2. c. 9. p. m. 144.* communicata, nulli dubitamus, cum ad eundem propè recidant parandi tenorem, præterquàm quod ſaccharum loco fermenti hîc uſurpent. Hinc ex pomis Borſtorffianis, baccis rubi idæi &c. medicatas ejuſmodi potiones pariter confici poſſe, autor eſt *B. D. Michaelis in Collegio Morelliano MSSto.*

Nec

Nec inefficax erit *vinum cynosbati* propriè ſic dictum, id quod ad normam vinorum, quæ cum ſucco ceraſorum, ribium &c. per fermentationem parare norunt Oenopolæ, & ſub nomine Kirſchwein &c. ſuſpenſâ tabulâ venum exponunt; ſive ex Roob, ſive ex fructibus *cynosbati* exſiccatis, concinnari poterit, dicendum deinceps Hagenbutten-Wein / in calculo & alibi proficuum.

VII.

De Sirupo.

NUllibi in diſpenſatoriis, quantum novimus, ejus conficiendi modum invenies. Roob autem paſſim conſignatum reperies. Hinc & nos hoc in negotio operoſi eſſe nolumus, cum ad ingenium ſirupi ribium, rubi idæi, &c. facilè queat & præparari & diſpenſari, aſſumendis ſcilicet ſacchari clarificat. p. j. & ſucci *cynosbati* expreſſi depuratique p. i. ß. quæ invicem mixta ad conſiſtentiam ſirupi coquantur.

VIII.

De Electuario.

A Modo Roob præparandi parum diſtabit, niſi quod fructus exacinatos, aut in vino, aut in muſto jubeat coquere prius *Colerus Oeconom. l. 17. c. 77. p. m. 761.* quos poſteà per cribrum, vel linteum ſubtile colat, atque ad juſtam conſiſtentiam evaporare permittit.

IX. *De*

IX.
De Roob.

COmmuniter diſpenſatoria idipſum ita parant. *Recipiunt* nempè fructus *cynosbati* ſummè maturos, wenn ſie teig ſind / quos ab arillis benè liberant, poſtmodum in mortario conquaſſant,& ut maſſa expeditius colatorium tranſeat, aquâ propriâ ſimplici prius imprægnant & diluunt. Hinc ſuccus ita percolatus vel ſeorſim, vel additione ſacchari in ſuccum conſiſtentiæ paulò ſpiſſioris,Roob dictum, excoquitur. Conſimilem in modum Roob cynosbati quoque parat *Jo. Hiskias Cardilucius* in der Stadt= und Land=Apoteck *tom. 3. p. 1362.* ſic *Gualterus Charleton diatrib. d. lithiaſ. p. 205.* refert, mulierculas in *Anglia* Roob tum ex ipſis fructibus ſaturatò maturis cum ſaccharo & cinnamomo parare, tum cum vino fructus exſiccatos in Roob, cydoniorum æmulum, ſpiſſitudine excoquere, pro ſecundæ menſæ ornamento & delectamento.

Alioquin parare quoque conſuevimus *Roob cynosbati compoſitum*, ♂*tiale* nuncupatum, quod ſic fit: ℞. limatur. ♂. puriſſimæ q. ſ. affunde ſucci baccar. *cynosbati* expreſſi, prius momento aquæ diluti ſ. q. Digerantur per aliquod ♂/♀ ad calorem leniſſimum, ita tamen, ut maſſa quandoque bacillo ligneo agitetur. Liquorem ſic tinctum, & ſaporem ♂tialem referentem, per chartam bibulam, vel linteum

rarum

rarum trajice, residuæ massæ novum affundendo succum & prævia digestione & extractione iterum percolandum. Liquores omnes dehinc conjunge, eosque ad medietatem exhalare permitte. Sic habebis *Roob cynosbati ♂tiale* nigerrimum.

X.

De Condito.

FAcilis idipsum est præparationis, vel muliercculis non ignotæ. Scilicet fructus *cynosbati* exemtis arillis, & lanugine sequestratâ, cum saccharo clarificato coquuntur, usq; dum mollescant & quasi intumescant, inter bellaria reponendi, vel pro siti fallenda ægrotis exhibendi.

XI.

De Sale Essentiali.

AD mentem salis essentialis berberum, quam communicat *D. D. Hoffmannus in clave pharmaceut. Schröder. p. 421.* ita poterit parari: ℞. *succi bacc. cynosbati*, verè maturarum q. s. quibus, ut eò melius colatorium transeat, adde parum aquæ tepidæ, misce, digere, & per colatorium dehinc trajice; posteà repone in locum frigidum, ut vasculum immotum stet, & videbis sal lateribus, vel fundo inhærere vasculi.

Sic ad eundem ferè modum paratum nobis est ⊖ essentiale *acetosellæ* ex succo, saporis acidu-

aciduli, in quamplurimis affectibus egregium medicamentum.

De his aliisque ⊖libus essentialibus extat egregius locus in *furnor. philosoph. Glauberi p. 1. pag. m. 375.* quô differit, quædam ⊖lia essentialia, v. g. absinthii, cardui benedicti &c. esse *nitrosa*: quædam v. g. nasturtii, volatilia & *ardentia*: quædam verò, nempè berberum, ribium &c. *acetosa*, & ♀ vini æmulantia. *Vid. illum.*

Articulus II.

De Medd. ex Arillis Cynosbati.

Summaria.

Spiritus Arillorum Cynosbati commendatur. Ejus præparatio. Oleum destillatum, & expressum ex arillis Cynosb. quomodo fiat? Cum oleo arillorum expresso fit balsamum ♎. Emulsio arillorum quomodo paranda? Præparatio pulveris arillorum. Epicrisis autoris de feculis. Sal arillorum Cynosbati quâ ratione parandum?

I.

De Spiritu.

OLim frequenti in usu fuit *D. D. Michaelis*, suffragantibus Ejusdem notis in pharmacopœiam *Schröderi MSS.* Sic inter lithontriptica quoque reponit *Joh. Macasius in promptuar.*

ptuar. mat. med. p. 180. Noſtrâ operâ nuper paratus ita proſtat: ℞. *arillor. Cynosbat.* aliquandiu ſuper fornace torrefactorum, & hinc groſſo modo pulveratorum ſ. q. committe eos 🝭 terreæ, & △e aperto obſervatis ejusdem gradibus deſtillationem adorna. Sic videbis primò totum receptaculum albicante fumo (totum conclave quod odore fortiſſimo replevit, nareſq; ⊡noſi ſpiritus inſtar vellicavit) impleri, ſubſequente poſtmodum liquore oleoſo primùm ruffo, poſteà nigricante inſtar olei ♀ nigri. Liquorem omnem per chartam emporeticam cum goſſypio in eadem recondito, filtra, ſic prodibit liquor ruffus, ſaporis alcalini, odoriſque ſpiritum lignorum æmulantis, remanente in filtro oleo craſſo & nigricante; ſpiritum ſeu liquorem filtratum ſuper 🝎o aliquo, v. g. ♀ri, unde ⊖ prius fuit elixiviatum, rectifica, & ſpiritum, qui coloris erit aurei, ſeorſim collige, ſervandum in vaſe clauſo optimè, ne ob ⊖ volatile copioſum viribus ſpolietur ſuis.

II.

De Oleo arillorum deſtillato.

Quod ita impetrabitur. Simulac ſpiritum in juſta quantitate nactus fueris, tunc continua deſtillationem, hinc impetrabis oleum aurei, vel ſi ignis juſto vehe-

hementior, ruffi coloris, odoris fragrantissimi, saporisque acerrimi. *Externè* erit egregium resolvens, & internè excellens aperitivum.

III.
De Oleo arillorum expresso.

MOdus parandi sequens erit: ℞. *arillor. Cynosbati* autumno, quò adhùc mollioris sunt substantiæ, collectorum s. q. quos à lanugine per loturam benè mundifica, dehinc gr. m. contunde, in sartagine massam sic tritam citra tamen empyrevmatis contractionem leviter tere, postmodùm sacculo inde, & sub prælo fortiter exprime oleum, quod serva.

IV.
De balsamo ♀ Cynosbatino.

TItulus confestim indicabit, quale hîc pro infusione oleum sit usurpandum, *arillorum* nempe *Cynosbati*. Egit de hoc quoque balsamo *differtat. d. menstruis c. 3.* olim *D.D. Wedelius* noster, vel ejusdem commendatione satis celebre. Parari aliàs poterit ad normam aliorum ♀ balsamorum, quæ passim descripta extant, præterquàm quòd in specie hîc sit observandum, coctionem non diu nimis esse h. l. celebrandam, ne empyrevma contrahat. Alias enchi-

chirifes vide in *medd. Rulandinis* à nobis olim editis, *c. 10. p. 41. & seqq.*

V.
De Emulsione arillorum.

GRatiſſimum medicamenti genus emulſio eſt, & hinc lac artificiale dictum. Ex *Cynosbati arillis* ita, ſi lubet, eandem parabis. ℞. *arillor. Cynosbati* à lanugine probè liberatorum, & adhùc molliuſculorum ſ.q. In mortario terreo benè eos contunde, & affuſione aquæ fr. *Cynosbati* ſimplicis, ſeu alius ſ. a. in *Emulſionem* redige, edulcandam poſteà Rotulis M. C. perlatis, augendamq́; ſi animus ſit, pluribus, v. g. ſpiritu fragorum, *Cynosbati* &c. Itemque additione ocul ♋ præp. lapid. tuberonum præp. & aliis fortificandam. Sic in *lithiaſi* habebis euporiſton non ultimæ notæ.

Quandoquidem verò arilli tempore hyemali indies magis indureſcunt, & lapillorum naturam propè induunt, & ob id difficilioris evadunt contuſionis, hinc conſultum erit, ut pro uſu futuro arillos primo Autumno collectas in ſacculo, vel ciſtula in arenam frigidiuſculam, ſiccam tamen, reponas. Sic molliores aptioresque erunt pro emulſione parandâ.

VI.

De Arillis Cynosbati præparatis.

℞. *arillor.* à pulpa & lanugine decenter mundatorum ſ. q. contunde eosdem in pulverem ſubtiliſſimum, quem irrora aquâ *Cynosbati* propriâ, pòſt exſicca, & prævia per cribrum transmiſſione, pro uſu ſerva.

Quòd ſi verò adhùc ſubtiliorem expetas pulverem, in modum feculæ, negotium ſic poteris adornare. ℞. *pulv. prædict.* q. ſ. quem affusâ aquâ propria digere aliquandiu, poſtmodùm per filtrum, vel linteum tenuè trajice, pulverem farinaceum ſubſidentem, decantatâ prius ſenſim aquâ ſupernatante, ad calorem mediocrem exſicca, & in pulverem redige feculæ æmulũ.

Obiter de feculis. Feculæ licet abjecta res ſint, & hinc ob *Zwölfferi* Cenſuram nimis rigoroſam *in animadverſ. in pharmacop. Auguſtan. p. 446.* minoris hactenus in medicina uſus, tamen non penitùs ſunt eliminandi è foro medico. Sunt namq; nihil aliud, quàm ſubtiliſſimus pulvis, farinaceus, à particulis craſſioribus ſeparatus, & per filtrum trajectus, ejusdem cum toto qualitatis, ea dè cauſa inventæ, ut palato magis ſe accommodent, nec tanto debeant offerri præbio. Non dicuntur feculæ per contemtum, quod ſint inſtar ſecum vini, vel cere-

visiæ, aliusve liquoris, quæ utique sunt minoris conditionis, & ceu recrementa eorundem; sed dictæ sunt ideò, quod instar fecum subsideant ad fundum. Hinc novimus, quanta præstet fecula ari in *pulvere stomachali Birckmanni*, & fecula pæoniæ in *specifico cephalico D. Michaëlis* &c.

VII.

De Sale arillorum.

Duplici potest parari ratione. *Unâ*, quando arilli sive igne aperto, sive in furno figulino, comburũtur, & in cineres cõvertuntur, ex quibus ⊖ more consueto elixiviandum, & posteà crystallisandum. *Alterâ*, quando ex ☋ spiritus, adhùc semel ignis torturam experto & calcinato, sal elicitur, & purificando in crystallos redigitur. Utraq; via si præparationem ejus adornes, egregium impetrabis ⊖, compendiosum tamen, si posteriorem modum fueris amplexus, quod ipsum in calculo ex commendatione *Macasii in promptuar. mat. med. l. 2. c. 22. p. 182.* polychrestum erit.

Caput III.

De Præparatis ex spongia Cynosbati.

Articulus I.

Ex spongia integra.

Summaria.

Præparatio spiritus ex spongiis. Simplex datur

& compositus. Censura Hoffmanni. Decoctum spongiarum quale? Extractum spong. quomodo parandum? Exempla. Essentia spongiar. Autoris. Magisterium spongiarum quomodo praeparetur? Judicium D. Wedelii de vegetabilium magisteriis. Praestant Essentiae siccae Autoris. Eas parandi ratio. Sal ex spongiis qua ratione eliciendum?

I.
De Spiritu.

DUplicis generis est secundum *Hartmannum in prax. Chimiatr. p. m. 154.* simplex & alcalisatus. Amborum quoque meminit *Schröderus in pharmacop. l. 4. c. 122. p. m. 60.*

Simplex ita paratur: ℞. *glomos Cynosbati* mense Majo vel Junio collectos, qui incidantur, remotisque vermiculis, aut albis insectis ibi reperibilibus, digerantur, cum aqua & fermento, ut putrescant, deinde eliciatur aqua, seu spiritus per vesicam.

Alcalisatus verò ita habet. ℞. 🜞. à praecedente spiritu residuum, quod in cineres converte, & ⊖ elice, quod purificatum cum spiritu conjunge, & aliquandiu digerendo macera, tandem cum argilla misce, & nudo △e super ejusdem glomos in receptaculum majus, spiritum unà cum ⊖le destillando prolice, ut nempè totum ⊖ simul

mul transeat. Illa quæ in recipiente sunt, exprime, & expressum per ♒ igne arenæ, in fine non usq; quaque forti, ne empyrevma redoleat, destilla in modum arcani, simili ratione ex vegetabilibus eliciendi. Ejus guttæ III. vel XII. in convenientibus liquoribus exhibitæ sæpius calculum insensibiliter expellunt. Hæc *Hartmannus*.

Justa autem est censura *D. Hoffmanni in Clave pharmaceut. Schröd. p. 465.* hunc, dicentis, spiritum, cùm artem non sapiat, inanibus processibus esse annumerandum.

II.
De Decocto.

H*Artmannus in prax. Chim. p. m. 154.* ita disserit: Fiat id ex pulvere istorum globulorum *Cynosbati* in vino macerato, & prævia colaturâ per aliquod tempus exhibeatur in nephritide. Alios decoctorum processus, quos ingrediuntur glomi *Cynosbati*, vide infrà de calculo.

III.
De Extracto.

PArandi modum primùm descripsit *Hartmannus in not. ad Croll. basil. Chim. p. m. 432.* quem ex eodem iisdem quoque verbis inseruit *praxi Chimiatr. suæ p. 751. D. D. Tilingius. Rolfincius* autem *ord. & method. med. spec.*

l.9.sect.4.c.1.p.m.804. clarius eundem sic consignavit. ℞. fungor. rosar. sylvestr. seu Bedeguar Arabibus, ☽na decrescente horis matutinis, cœlo sereno, collectarum ad ℥x. Secentur per medium, mundificentur à vermiculis intùs latentibus, exsiccentur & in pulverem redigantur. Pulvis iste leniter irroretur affuso oleo ♀, superfundatur 🜄 rectificat. q. s. digerantur in loco calido ad dies 14. colentur & sublato menstruo per Balneum blandum fiat extractum consistentiæ mediocris, in vase fictili servandum. S. *Extractum lithontripticum.*

Vide etiam, quæ de *Extracto fungorum Cynosbati* sentit *D.D. Ludovici dissert.1.d.pharmac.mod. p. m. 411.*

IV.

De Essentia.

Ab extracto parum discrepabit, prætérquàm quòd Essentia retineat menstruum, quod autem in illo iterùm abstrahitur. Alioquin nobis in more positum est tùm extractum, tùm essentiam eodem fermè modo præparare, quem *Hartmannus* & *Rolfincius* descripserunt, nisi quod loco 🜄 simplicis usurpemus 🜄 spir. ⊖ ✱ci acuatum, eoque modo egregii saporis, colorisq; aurei essentiam impetremus.

V.

De Magisterio.

AD mentem *Rolfincii*, *Zwölfferi* & aliorum ita paravimus id: ℞. *spongiar. Cynosb.* q. v. Concisis crassiusculè affunde lixivii ⊖ ♀. fortissimi q. s. stent in vitro in digestione, vel fiat decoctio eorum, Ram inde extractam filtra, hinc affunde solutionem Aluminis cum aqua calida factam, unde ad fundum præcipitabitur sensim fecula obscurè flava. Aquam supernatantem deinde decanta, massam residuã edulca aquâ calida, quam iterùm per filtrationem separa, & pulverem rursùs exsicca. *Vires* erunt *antinephritica*. Dosis à gr. v. ad ℈j.

Sed *magisteria* hæc vegetabilium plus videntur curiositatis sapere, quàm utilitatis adferre, plus oculos jucundo colore delectare, quàm Archeum morbo debilitatum solari. Hinc rectius à *D. D. Wedelio tr. d. pharmac. l. 2. sect. 4. c. 1. p. m. 263.* culpantur, cùm (1) non pura sint, sed particulis Onosis & lixiviosis referta, quod pondus docet. (2) cùm coctione per lixivium ⊖ ♀ factâ multum ⊖is, 🜍risq; intrinseci eliciatur, quæ tandem lixivia per solutionem aluminis in aliud ens mutantur. Hinc ejusmodi magisteria sunt quasi ☋, seu scoriæ inutiles. Rectius faciunt, qui horum loco usurpant *Essentias herbarum siccas*, egregia sanè medicamenta, quas parare solemus ex herbarum extractis singulari en-

chirisi exsiccatis, quibus olea propria, ℞ata nempè jungimus, eaque iterùm exsiccata in pulverem redigimus. *Vel*, si placet, sola extracta, absq; oleorum additione, sic queunt pulverisari utiliterq; adhiberi.

VI.

De Sale.

Cineres *spongiarum cynosbati* usurpârunt veteres salis loco, ceu ex therapia patebit infrà. Parari autem in ⊖ rectius poterunt ita: ℞. ☉. sive post destillationem spiritus, sive post extractionem essentiæ, residui, q. s. quod probè exsiccabis, & dehinc in vase clauso reconditum calcinari jubebis in furno figulino. Ex cineribus hisce postmodum more consueto elixiviabis ⊖, quod frequenti aquæ affusione depurabis, ut grato se commendet candore usurpantibus. Et hoc modo insigne rei facies compendium, nec jacturam tot spongiarum sine necessitate patieris.

Articulus II.

Ex Vermiculis.

SUMMARIA.

Liquor vermiculorum cynosbati quomodo parandus? De spiritu eorundem judicium D. Ammanni.

I. De

I.

De Liquore.

Singulari parandi artificio non indigebit is, vel mulierculis cognito. Conficitur autem *geminâ* ratione; *unâ*, quando Vermiculi levi manu conquaſſantur, & in pulmentum veluti rediguntur; *alterâ*, quando, ſi juſtam eorum habeas copiam, poſt conquaſſationem leviorem in vitro ad ſolis radios, vel blandulum ignis calorem eos reponas, ut penitus ſic penitusque in liquorem reſolvantur.

II.

De Spiritu.

Sunt qui ex illis ſpiritus prolectionem moliuntur, nec ſucceſſu equidem careret negotium, modò in copia haberi poſſent vermiculi talismodi, quòd votum quoque olim fuit *D. D. Ammanni in eruditiſſima diſſert. d. hydrophob. §. 50.* quô nomine & nos ſpiritus hujus nullam habemus experientiam, qui præparatione ejus & tædioſâ, & forſan minus fructuoſâ hinc rectius ſuperſedere voluimus.

CAPUT IV.

De Præparatis ex ligno Cynosbati.

SUMMARIA.

Præparatio ſpiritus ex ligno Cynosbati qualis? Sal ex ligno qua ratione parandum? An Salia

per

per incinerationem parata sint unùm idemq;? Negatur, & illustratur.

I.
De Spiritu.

NIhil peculiare hîc, & quod asteriscum mereatur, occurrit, sive præparandi modum, qui ab arillorum præparatione parum, vel nihil discrepabit; sive usum respicias. Concinnamus tamen eum ita: ℞. *lign. cynosb.* q. v. in frusta minutissima quod conscinde, dehinc in ♉ terream inde, & △e aperto destillationem urge. Sic impetrabis liquorem ruffum, saporis acerrimi & odoris fortissimi. Oleum s. a. à spiritu separa, & ad usum ambo repone.

II.
De Sale.

EX ligno quod ita parari poterit, vel lignum △e aperto comburendo, & in cineres convertendo; vel ☉ spiritus iterum calcinando, & ⊖ inde, ut artis est, elixiviando, quod tandem observatis enchirisibus crystallisabis.

Quæritur hîc non incommodè, An salia alcalina vegetabilium sint unum idemque, sive, ut nonnulli loqui amant, an perinde sit, utrum adhibeas loco ⊖lis cardui benedicti &c. ⊖♀, & vice versa?

℞. Ve-

℞. Verum eſt, in hoc ea non differre, quod alcalina, quod lixivioſa, ſint, quodque cum acidis efferveſcant? Sed neque hoc inficiandum erit; ſalium alcalinorum quoque magnam eſſe latitudinem, magnamque diſcrepantiam. Sic alcalina ex herbis minus oleoſis, v. g. carduo benedicto, abſinthio &c. à ⊖le ♀ri alcalino tùm ratione ſaporis, tùm energiæ ratione parum diſcrepabunt; ſicuti quoque perinde ac ⊖ ♀ cum acidis effervescunt. Ex herbis autem reſinoſis, itemque ex aromatibus, vix idem erit ſperandum, nam & ſapore, & odore, quin & viribus à communibus illis alcalinis differunt. Exempli loco ſunt ⊖ Zedoariæ, cinnamomi, caryophyllorum, itemque angelicæ, roriſmarini &c. per incinerationem facta, quæ alcalicam quidem habent indolem, interim tamen ob peculiaritatem texturæ, itemque oleorum propriorum quantillam admixtionem, quæ ab iis vix ſeparabis, nativum ſapient ſaporem, & nativum redolebunt odorem, parcè licet. Addo, quòd cum ſpiritu ⊕li aliiſque acidis longè diverſam, quàm à ⊖le ♀ quæ fit, pariant effervescentiam, ſcilicet majore cum calore & ſtrepitu. Alia ut jam taceamus rationum momenta. Vid. quoque *Rolfincii Chim. in A. F. red. l. 5. ſect. 1. c. 4. p. m. 285.*

LIB.

Liber IV. THERAPEUTICUS.

Caput I.

De Viribus Cynosbati Generalioribus.

Articulus I.

De usu florum, fructuum, spongiarum &c. Cynosbati *generali.*

SUMMARIA.

Cynosbati magna est utilitas. In quibus affectibus flores, fructus & spongiæ &c. conferant?

Vilissimi licet *Cynosbatus* sit generis, famæq; apud nonnullos non ita multæ, interim tamen genium ejus intimiùs noscentibus magno erit in numero. Nam nihil in ea erit, quod in usum medicum non veniat, quodque valetudini vacillanti non opituletur.

Hinc in genere *radices cynosbati* conferunt tùm spiculis aliisque extrahendis, tùm morsibus canum rabidorum specificè sanandis.

Florum vis satis obvia erit in oculorum affectibus, in fluore albo & rubicundo mulierum, itemque in totius corporis exæstuatione.

Fructus

Fructus gratissimum præbent refrigerium ex caliditate nimia languentibus ventriculo, hepati, renibus &c. quin & calculo medentur, & diuresin procurant.

Spongiæ eximiè prosunt in tollendis vigiliis, lithiasi aliisque affectibus compluribus.

De omnibus verò infrà uberius, & speciatim agendum erit.

ARTICULUS II.

De Qualitatibus cynosbati.

SUMMARIA.

Veteres parcè de qualitatibus cynosbati egerunt. An cynosbatos calida, vel frigida sit? Explicatur. An adstringat, vel laxet? Sententiæ Autorum. Quæ qualitates cynosbati tertiæ? Spongiarum qualitates sunt obscuræ. Veteres in qualitatibus manifestis acquieverunt. Insufficientes autem esse eas probatur. Unde sint petendæ cynosbati qualitates & vires? Quid huc conferat atomorum habitudo? Sapor fruct. cynosbati peculiaris est. Illustratur. Acida cum alcalinis fiunt aperitiva. Cur fr. cynosbati refrigerent? Aqua Rosarum acidum occultum habet. Probatur. Aqua ardens Rosarum inflammabilis. Quid aquæ spirituosæ? Odor fr. cynosbati quoque singularis, color autem vulgaris est.

Pauca

PAuca de qualitatibus, & temperamento cynosbati, quantum nobis constat, in literas retulerunt veteris ævi Botanographi, paucaque, quæ curiosos exsaturent mentes.

Quæris, an calida, vel frigida sit *cynosbatos*; Respondebunt, frigidum possidere eandem temperamentum. Ut hoc probent, supponunt, *cynosbatum* sylvestris esse indolis, jam verò sylvestria quæ sunt, frigidiora esse urbanis, citante hoc ex *Theophrasto* & *Averroë Jo. Bapt. Portâ phytognom. l. 2. p. m. 125.* Ut majus asserto accenderent lumen, provocant ad experientiam, atque ad effectum, qui ex usu *cynosbati* resultat, nempe quòd calidioribus affectibus medeatur. Et ne autoritates desint, surgit *Schyronius meth. med. p. m. 476.* & folia *cynosbati* tertio gradu frigida pronuntiat. Flores facultate refrigerandi dotatos esse scribit *Hieron. Bock. in herbar. part. 3. c. 19. p. 364.* Sic *Joh. Schröderus pharmacop. l. 4. cl. 1. c. 122. p. 60.* flores *cynosbati* cum rosis sativis in qualitatibus convenire ex veterum mente, qui frigidas eas dixerunt, autumat. Confer quoque *C. Swenckfeldium d. stirp. Sil. p. 184.* Fructus *cynosbati* & ipsos refrigerandi pollere virtute, passim ex autoribus medicis constabit. Quod etiam voluit *Schönbornius manual. med. pract. p. m. 101. & 106.* sic *Jo. Hiskias Cardilucius d. diæta c. 30.* fructus *cynosb.* ad quali-

qualitates *Saturninas*, & hinc ſub ſignum arietis pertinere exiſtimat.

Pergis, an *cynosbatos* vel adſtringendi, vel laxandi gaudeat facultate? Reſpondebunt, adſtringere eandem. Ita ſentiunt *Hieronym. Bock de floribus cynosbati in herb. l. c. C. Swenckfeldius l. c. Schröderus in pharmacop. l. c. Frid. Hoffmannus in Clave pharm. Schröd. l. 4. ſ. 1. §. 134. Galenus d. ſimpl. med. facult. p. m. 1092.* fructus non ſegniter adſtrictorios, folia verò mediocriter dicit. Conſentit *Tilemannus d. mat. med. p. 42.* de Roob *cynosbati*. Vid. quoque alios.

Quæ ſint *cynosbato* qualitates tertiæ ab odore, ſapore & colore deſumendæ, altum eſt in ſcholis veterum ſilentium. Paucis tamen tùm in ſequentibus, tùm ſuprà ea tetigimus, quò curioſa mens erit ablegenda.

Quibus *cynosbati ſpongiolæ*, quæ diverſum quid ab ea, & quaſi nova ejus proles ſunt, qualitatibus gaudeant, nemo hactenùs ſufficienter ex veteri medicorum ſcena determinavit, nec à priori facilè determinabit, cùm ob diverſos agendi modos diverſis etiam polleant virtutibus, ceu ex praxi infrà clarebit.

Et in hiſce *cynosbati* qualitatibus manifeſtis acquievêre per plurium ſeculorum decurſus veteres, earumque modulo, uti aliorum, ſic *cynosbati* quoque proprietates, metiri

annisi sunt. Nullibi enim, quod sciamus, apud eos quicquam legas, quare *cynosbatos* sit somnifera, quare nephritica, quare anti-hydrophobica &c. Diversis *cynosbatũ* esse instructam dosibus non ignorarunt, modum autem agendi nesciverunt.

Non sufficere autem ad facultates *cynosbati* indagandas qualitatum manifestarum larvas, sequentia facilè probabunt. Etenim alia radicum & trunci, florum fructuumque alia, imò spongiarum ab his omnibus longè diversa existit indoles & crasis. Sic ob fermenta diversa, quibus gaudet *cynosbatos*, diversos quoque edit effectus, qui uni eidemque qualitati adscribi non possunt. Diversitatem fermentorum in *cynosbato* non difficile erit ostendere. Perpende, quæso, sis vim radicis anti-hydrophobicam, considera fructuum, & in illis maximè arillorũ vim lithontripticam, examina porrò spongiolarum vim hypnoticam, & antinephriticam, vermiculorum item facultatem antepilepticam, alia ut jam non accersamus. Quis itaque auderet tàm diversas *cynosbati* vires vel caliditati, vel frigiditati; vel humiditati, vel siccitati adsignare? Non calor quà calor, nec frigus quà frigus, nec siccitas & humiditas, quà tales, unquam sanarunt hydrophobiam, epilepsiam, lithiasin &c.

Sic novimus per experientiam, licet hoc vel

vel illud vegetabile videatur cuidam qualitati esse subjectum, fieri tamen sæpè, ut pro ætatis, pro aliorum accidentium ratione qualitas illa mirum quantum immutetur, sicuti res per exempla obvia erit. Fructus *acaciæ* adstringere, flores autem laxare, olim nos docuit *B. D. Michaelis* in collegio Schröderiano. Sic flores *Rosarum* recentes laxare, antiquos verò adstringere, per experientiam didicit *D. Hoffmannus in clave Schröder. l. 4. s. 1. §. 295. Urticam* recentem sangvinem provocare; veterem verò & exsiccatam eandem sistere, observavit *Tachenius in Hipp. Chim. p. m. 156.*

Quibus præsuppositis arbitramur, facultates *cynosbati* aliunde esse accersendas, nempè habitâ reflexione ad omnipotens illud omnipotentis Dei verbum *Fiat*, qui, ut omnibus, sic & *cynosbato* certas & ab aliis distinctas largitus est in primo Creationis termino vires, quibus usque sertis tectisque uti potest, & debet. Et hasce vires moderni vocant seminales & specificas. Vide hanc in rem ingeniose disserentes *D. Hoffmannum in cl. pharm. Schröder. l. 1. c. 11. p. 16. & D. D. Ettmüllerum in præfatione dissertat. d. opio.*

Quo ipso tamen non excludimus admirandam illam corporum per *atomos*, ex quibus conflata dicuntur, habitudinem, cum noverimus, ex earundem configuratione, situ, motu &c. diversimodas quoque suboriri fa-

cultates, diversimodaque phænomena. Sic, ut *cynosbato* hoc applicemus, ex singulari atomorum textura & configuratione oriri putamus saporem in baccis *cynosbati*, qui certè peculiaris ipsis est, perinde ac de cinnamomo olim disseruit *Helmontius*, præter aromaticum saporem & peculiarem ei inesse gratiam. Nam inest baccis *cynosbati* acidulus, inest quoque alcalinus quidam sapor, ambo singulari & incognitâ nobis ratione invicem misti. Hinc primâ licet fronte eundem diceres austeriusculum, habebit tamen in recessu & acredinem quandam, quam non tantùm linguæ affricat, sed & in destillatione spiritus naribus communicat. Et omninò opus erat in baccis *cynosbati* tàm concinna acidi & alcali mistione, si diureticum, si deoppilativum &c. esse debeat. Acidula namque cum alcalinis mista dant egregia aperitiva, ceu ex praxi notum. Et hinc petendam quoque esse rationem censemus, cur baccæ *cynosbati* cum floribus possideant vim calorem p. n. alterandi; nempe fit hoc ob blandulum illum, & per alcali velut correctum acorem, qui aptus est particulas ⊖lino-♀reas temperare, & ab efferatione impetuosa cohibere.* Sic quando aqua *Rosarum* seu domesticarum, seu sylvestrium dicitur refrigerare, putamus id pariter accidere ob occultum quoddam acidum, temperatum tamen, ad mentem *Tachenii in Hippocr. Chim.* *p. m.*

p.m. 152. Acidas autem aquæ Rosarum inesse particulas experientia docebit, 1. quod non ita diu viribus integris queat servari, quin acescat, avolantibus nempe particulis volatilioribus. 2. quòd in destillatione aquæ Rosar. ultimò quæ transcendit, saporem mox acidulum præbeat. Id quod tamen de aqua Rosar. vulgari intellectum volumus. Nam spirituosa ob 🜍 oleosi præsentiam refrigerare nescit, cùm instar 🜄 aqua Rosarum ardens *Beguino in Tyrocin. Chim. p. m. 66.* dicatur flammam concipere: cùm optimè etiam noverimus, spirituosas ejusmodi aquas nihil esse aliud, quam olea rarefacta, in pauco phlegmate soluta, adserentibus *D. D. Barnero dissert. d.* 🜄 sine acido; & *D. Bechero in Physic. subterr. lib. 1. f. 5. c. 2. p. m. 356. 7.*

Sic & Odoris peculiaritas quædam in *cynosbati* baccis observanda erit, præprimis in destillatione spiritus, & conquassatione fructuum; quam verò in aliis vix observabis.

De colore bacc. *cynosbati* jam nonnulla disseruimus suprà. Et tantum de qualitatibus *cynosbati*.

ARTICULUS III.
De Noxa Cynosbati.
SUMMARIA.

Fructus Cynosbati dicuntur quibusdam noxii.

Cur? Sententiæ examinantur. Quomodo noxa illa possit emendari? An oculis noceat? Sententia Sim. Pauli. Historia de noxâ spongiæ Cynosbati in equo.

TOta propemodum licet sit medicamentosa *Cynosbatos*, incommodis tamen suis eam haut carere sunt qui dicunt. *Galenus d. simpl. med. facult. l. 7. p. m. 1090.* & cum eo Dioscorides *d. mat. med. l. 1. c. 123. p. m. 99.* lanuginem *Cynosbati* arteriam vitiare dicunt. Nec abludit *Simon Pauli in quadripart. Bot. edit. 1. cl. 2. p. m. 36.* præsertim si lanugo hæc in vino fervefacta mox in potu offeratur, cùm vel cuti affricta nimium quantum pungat.

Sed metum hunc esse inanem quivis facilè videbit, cùm nostratibus in usum non cedant fructus, nisi tùm à lanugine, tùm arillis per loturã studiosè sint liberati. Et demus, quicquam lanuginis remanere in fructu, nemo tamen facilè dixerit, in arteriam eandem esse delapsuram, nisi casu quodam id evenerit, cùm sine metu suffocationis nihil in eandem, obstante epiglottide, descendere queat. Nisi quis dicere mallet, ab optimis illis viris hoc arteriæ esse assignatum, quod rectius tamen uvulæ, fauciumque cuticulæ fuisset adscribendum. Quæ tamen vellicatio & ipsa tùm

per

per potulenta, tùm mucilaginosa facilè tolli poterit. Quæ prætereà *Matthiolus* habet, citante *Simon. Pauli* l.c. lanuginem *Cynosbati*, & pulvisculum illum fructui insidentem, oculis officere, tanti non sunt, hinc quoque averso flatu fructus legendos esse suadet idem *Sim. Pauli* l. c. Sed transeant hæc.

Obsignabimus hæc observatione à *D. D. Wedelio* nostro nobiscum communicatâ. In illustrissimâ aulâ generosissimus alebatur equus, magni pretii, qui cum aliquandiu ægrotasset, omni cibo repudiato, & frustra adhibitis quibusvis remediis ex legibus artis veterinariæ, mortuus fuisset, dissecantibus hinc in intestino tenui obtulit globum congestorum alimentorum, quibus obicem posuerat hærens ibi spongia *Cynosbati*, sine dubio ex improviso devorata, & villis suis penitius crustæ infixa, ut transitus concessus fuerit nullus.

Caput II.

De viribus Cynosbati specialioribus.

Articulus I.

In Morbis internis.

I.

In Affectibus supremi ventris, scil. Capitis.

SUMMARIA.

Spongia Cynosbati ob signaturam Capitis affectibus

bus medentur. Probatur. Cephalalgiam tollunt medd. ex Cynosbato. Explicatur. Enumerantur aliquot formulæ remediorum. Dilaudatur externè oleum quoddam compositum & Epithema. Magmatis flor. Rosarum sylv. h. l. usus. In vigiliis conferunt spongiæ Cynosbati. Explicatur. An pulvinaribus suppositæ hic quicquam conferunt? Opium & crocus in distans vigilias tollunt. Spongia singularis contra vigilias Cnöffelii. Epithema D. Michaëlis contra agrypniam. Vermiculi & lignum Cynosbati contra vigilias serviunt. Epilepsiam tollunt vermiculi Cynosb. Probatur. Experimentum D. Majoris. Ingrediuntur pulverem Epilept. Zwölfferi. Decoctum glomorum Cynosbati in phrenitide commendatur. In Hydrophobia confert radix Cynosb. Explicatur. Autoritates veterum & recentiorum quorundam. Cortices Cynosb. etiam h. l. prosunt, & spongiæ. Illustratur. Modus utendi. Ingreditur Cataplasma contra rabiem. Describitur id. Morbos faucium sanant fructus Cynosbati. Historia. Usus & utendi modus.

SPongias *Cynosbati* signaturam capitis possidere, & ob eandem in ejusdem affectibus pro medela esse, refert *Helvetius in Xisto herbar. c. 13. p. 41.* Idem quoque sentit *Sennertus d. consens. & dissens. p. 329.* Clarius verò

verò lumen afferto huic ex ſequentibus accendetur. Confert itaque primo loco *Cynosbatos*.

In Cephalalgia.

NOn ultima in hac laus eſt *Cynosbato*. Sive enim reſpicias ipſas doloris faces à ſalium ſylveſtrium efferveſcentia, & hinc natis effluviis corroſivis, accenſas; ſive attendas ipſas, quæ preſſo pede ſequi ſolent, vigilias, utrobique omne feret punctum. Hinc pro uſu interno, non neglectis tamen univerſalibus, ſequentes formulæ præſcribi queunt. Et quidem

In forma *Pilularum*:

℞. extract. ſpongiar. *Cynosbat.* ℈ß. laud. opiat. gr. iij. vel iv. croc. or. gr. ij. M. F. Pilulæ. Dentur pro 2. doſibus ex conveniente vehiculo, quando cubitum itur.

Si *pulviſculus* magis arrideat, erit ille ſequens:

℞. *ſpongiar. Cynosb.* præp. ℈j. pulv. anodyn. confort. ℈ß. M. D. pro 2. doſ.

Sic *mixtura* hæc Cephalica ſuâ non carebit laude, quæ ita paratur:

℞. eſſent. *ſpongiar. Cynosb.* ʒiß. anodyn. ℈j. croci ℈ß. M. D. à g. x. ad xxx. ex commodo vehiculo.

Pro intentione externa dilaudat *Joannes*

Guterus in medicin. domest. p. m. 291. oleum rosarum spongiis *Cynosbati* infusum, digestum, & posteà temporibus illitum.

Alioquin in forma pulveris fronti applicatum egregiè etiam confert sequens:

℞. pulv. spong. *Cynosb.* verbenæ, rad. zedoar. ãã. q. s. M. applicetur cum linteo, vel mica panis.

Plebeji, & quibus res domi angusta est, hunc in finem usurpare poterunt magma illud *florum Cynosbati*, post destillationem aquæ residuum, wilder Rosen-Kuchen / & fronti tepidè cataplasmatis in modum applicare.

In Vigiliis.

Miserandum est doloribus excruciari, magis deplorandum insomnes insimul noctes ducere. De priore scopo jam diximus. Sequitur quoque de posteriore, vigiliis nempè per *Cynosbatum* tollendis quædam dicamus.

Somniferas esse spongias *Cynosbati* præter veteres professi sunt *Hieronymus Bock in herbar. p. 365. Sennertus d. consens. & dissens. p. 329. Swenckfeldius histor. stirp. Sil. p. 184. Simon Pauli in quadripart. Bot. p. 56.* qui ex *Ageria* hæc allegat.

In usum autem veniunt tùm *spongiæ*, tùm *vermiculi*. Spongias integras, nullamque

que pharmaceutæ alicujus manum expertas, communiter ſupponunt pulvinaribus infantum in pervigiliis, quô autem ſucceſſu, non ita ignotum eſſe poteſt. Probandum namque erit, ſi quid commodi ita in *ἀγρυπνίᾳ* præſtare debeant, ex iis exhalare quædam effluvia ſoporifera, quæ aëri vicino energiam hanc ſuam imprimunt, cujus vehiculo poſteà ægrotanti per attractionem aëris & ipſa queat communicari, & ſic per conſequens ad ſomnum quædam diſpoſitio concitari. Verùm, an tanta in ſpongiis *Cynosbati* ſit effluviorum copia, quanta tùm aëris vicinioris alterationi, & hinc ſomni productioni ſufficere queat, licebit addubitare. Si verò quicquam h. m. debeant prodeſſe, id potius de recentioribus, quæ gratum adhuc ſpirant odorem, quarumque particulæ ſunt activæ magis, intelligendum eſſe exiſtimamus. Alia res eſt de *opio*, de *croco* &c. quæ ob activitatem particularum in diſtantia quoque ſatis longa, & odorem, & vim ſoporiferam ſpargunt.

Spongias autem *Cynosbati* artificioſè & cum additamento aliorum hypnoticorum paratas, plus emolumenti in vigiliis præſtare, autor eſt *D. D. Martinus Bernhardi d. Berniz in medd. Cnöffelianis tit. 6. p. 37. Anno*

Ephem.

Ephem. Germ. VI. & VII. annexis, quô loco talem describit spongiam:

℞. Opii in spiritu sedativ. solut. ℈ij. Essentiæ nucistæ, succi daturæ nostr. recent. express. & absque igne clarificat. āā. ℥ij. Croci ℈iß. ℴℴ rosar. ver. still. in s. q. 🜄 ♀ risat. dissolut. gutt. vj. F. Mixtura.

Cum hac mixtura posteà irrorentur & imbuantur *spongiæ Cynosbati*, & denuò totaliter exsiccentur. Qui labor bis, vel ter repetendus. *Spongiæ* ita paratæ posteà in scatula aliqua pura usui reponantur. Cùm eâ uti volueris, immergatur, vel solùm irroretur priùs spongia cum aqua rosarum, & naribus admoveatur.

Pro *Epithemate* frontali in vigiliis dilaudat *B. D. Michaëlis* misturam sequentem, quam in Collegio Heurniano MSS. communicavit olim:

℞. Aquæ hypnot. Dorncreill. ℥iij. pulv. *spongiar. Cynosb.* ℈ij. laudan. opiat. gr. iij. M.

Aliàs in catalogo specificorum contra pervigilias reponit quoque *D. D. Simon Schulzius* infusum *ligni Cynosbati, & vermiculorum* in ejus spongiis repertorum liquorem. Vid. *Ephem. Germ. A. VI. & VII. obs. 17. p. 235.* Liquorem hunc commendat pariter

D.D.

D.D. Vollgnad differtat. d. hemicran. thes. 70. præsertim, si vigiliæ à cephalalgia fuerint ortæ.

In Epilepsia.

SEu horrendo, ut si quis alius, affectu, *Cynosbatos* nec effœtæ virtutis est. Agit autem, quicquid h. l. agit, maximam partem ratione vermiculorum in spongiis ejus reperibilium. Quorum vim Antepilepticam singulari opinione confirmat *D. D. Jo. Dan. Major in Genio errant. c. 9.* ubi, ait, vix alia ratione unos vel alteros eorum, puerulis caduco actis, mediante jusculo datos esse, quàm quòd ventriculo vesicatorii, ob caloris æqualitatem indolorifici, loco sint, colligantque intra tenuissimas bullulas (sponte dein ad rupturam sui tendentes) bonam partem miasmatis epileptici &c.

Zwölfferus in pharmacop. Regia p. 102. vermiculos hosce in *pulverem antepilepticum* suum quoque recipit, qui sic componitur:

℞. pulv. ex typhis cervi ritè præp. ℥ß. unicornu veri marini, cranii hominis suspensi raspati, bezoar. occidental. lap. carpion. semilunar. supra eorum oculos reperibilium āā. ʒij. *Vermicul. in spongiis Cynosb. invent.* ʒß. ol. still. cinnam. ℈j. caryophyll. ℈ß. magister. solubil. matr. perlar. ℥ß. F. *Pulvis*

vis omnium ſubtiliſſimus. Datur à ℈j. ad ℥ß.

Joannes Sempio in Practic. fol. m. 254. de horum vermiculorum virtute antepilepticâ ſic diſſerit: *Vermes* qui inveniuntur in tuberoſitate quadam piloſa, quæ eſt in *bedeguar*, da tribus diebus ſingulis tres diſtemperatos cum aqua benedicta, & ſanabitur. Expertum.

In Phrenitide.

DUplici ſcopo hîc ſatisfacit *Cynosbatos*, uni, quatenùs bilioſos, volatiles & ſummè corroſivos halitus temperat; alteri, quatenus vigiliis, quæ eam preſſo pede ſequuntur, unà medetur. Propterea non dubitavit *D. Hoffmannus in method. med. Wal. p. m. 290. decoctum glomorum Cynosbati* inter ſpecifica antiphrenetica etiam reponere.

In Rabie, ſeu Hydrophobiâ.

UBi vulneratus malô interiora petente humanos exuit, & vice verſa caninos induit mores, utramque facere dicitur paginam *Cynosbati* uſus, ſive internè, ſive externè celebratus.

Externè morſibus applicata radix, ob affinitatem, ſeu ſymbolum, quod cum venenoſa hac ſpuma poſſidet, particulas iſtas venenoſo fermento imprægnatas amplexatur, ad interiora migrare eas prohibet, & vul-

vulnus hoc modo per subsequentem vulnerariorum usum, sanari iterum facit, geminâ propè ratione, quâ bufo exsiccatus bubonibus pestiferis alligatus, & venenum inde, & ex toto corpore vi sua magnetica allicit, Archeum nempè vulneris per amicabiles Ideas alloquendo, ceu *Jo. Marcus Marci philos. vet. rest. p. 434.* de morsu viperino loquitur.

Internè si jam spicula ista venenosa migrârint, sanguinem in ebullitionem concitarint, Archeoque furoris ideam impresserint, pari modo vires suas exseret radix *Cynosbati*, cum particulis nempe istis mutuos in amplexus ruendo, & secum sub specie vel sudoris, vel insensibilis evaporationis, foràs rapiendo &c.

Hinc veteribus *radix Cynosbati* magnis fuit in deliciis, idque ideò, quòd ejusdem usus hoc in affectu ab Oraculo primitùs fuerit detectus, docente *Plinio histor. nat. l. 25. c. 2.* & *l. 8. c. 41.* Historiæ ibidem videri legique poterunt.

Sic ex *Aquinio* sylvestris Rosæ radicem mederi demorsis à cane rabido, præsertim allio unà imposito, adnotavit *Jo. Schenckius obs. med. l. 7. obs. 64. p. m. 756.* quo loco ex *Gemma Cosmocrit. lib. 1. c. 6.* consimilem recitat historiam.

In cujus Radicis vires anti-hydrophobicas

bicas utroque quasi pede condescẽderunt etiam *Dodonæus stirp. histor. pempt. 2. l. 1. p. 198.* *Jo. Bapt. Porta phytognom. c. 25. p. m. 9.* *Caspar. Swenckfeld. d. stirp. Siles. p. 184.* *Hieronymus Bock in herbar. p. 365.* *Cæsalpinus in specul. art. med. l. 4. c. 35. p. m. 197.* *Sylvest. Rattray d. sympath. & antipath. p. m. 56.* aliique.

Sic non *Radix* modò, sed etiam *Cortices Cynosbati medii*, in hydrophobia commendantur à *D. Hieronym. Velschio in mictomimemat. p. 24.* Consimiliter ex commendatione *Josephi d. Aromatariis d. rab. contag. p. 66.* conferunt hîc *spongiæ Rosæ caninæ.*

Quomodo autem offertur hæc *Radix* hydrophobis? ℞. tùm internè, tùm externè. *Internè* propinatur cum lacte, ceu historia illa apud *Schenckium* edocebit. Sic quoque vel cruda comeditur, vel in potu usurpatur, teste *Hieronym. Bock. in herb.* l. c. *Externè* autem morsui applicatur præparata, notante eodem *Bockio* l. c. Quò nomine etiam ingreditur celebre illud familiæ cujusdam *Cataplasma* contra morsum canis rabidi, quale dilaudat, & longo ordine descriptum exhibet *medicin. Dygbæanæ Tomus 1. p. m. 193.* quod componitur ex ruta, salvia, bellid. sylvestr. ãã. mß. radicib. *cynorrhod.* subtiliss. scorzoner. ãã. q. s. Incisis contusisque additur allii parum, ⊖lis mß. M. pro *cataplasmate* vulneri imponendo, hâc ta-

men

men observatâ juxtim cautelâ, ut vulnus anteà per misturam ex aqua, vino & Ole factam, probè mundificetur.

In Affectibus Faucium.

PRæter alios in medicina usus faucium quoque morbis egregiè medetur *Cynosbatos*, sive ob siccitatem nimiam guttur arescat, sive tonsillæ dolorosè intumescãt, sive anginæ sentiantur præludia. Quô nomine *D. Cardilucius l. d. diæt. c. 30.* fructus *Cynosbati* cum aqua decoctos magnoperè deprædicat, qui ipse tùm in proprio corpore, tùm in rustico quodam, consimili in adfectu, quô deglutitio jam cessare, ægerq; sic in singula veluti momenta videbatur suffocari, unicè decocti præfati usum expertus est proficuum.

Quibus *Roob Cynosbati* ad manus, extemporaneum possent concinnare, & præstanti⁹ reddere hoc præsidii genus, si nempè solutio ejus fiat vel in aqua simplici, vel quibusdam specificis, addito vel mellis communis, vel rosati tantillo, ut palato fiat magis gratum, idque tandem prævia qualicunque decoctione, & percolatione pro gargarismate usurpetur.

II.

In Affectibus medii ventris, seu pectoris.

SUMMARIA.

In tussi conferunt baccæ Cynosbati: Dulcia cum acidis sunt conjungenda pro expectoratione. Illustratur. Flores Cynosbati pleuritidem sanant. Quomodo? In hæmoptoë pulvis spongiarum Cynosbati confert. Electuarium Willisii. Miscentur cum aliis quoque. Vitam prolongare dicuntur flores Cynosbati. Probatur. Experimentum Paracelsi. Vis & laus Q. Essentiæ melissæ. Describitur ea. In China habetur planta pro immortalitate. Explicatur.

In Tussi.

COmmendat *Goclenius in enchirid. med.* facilè parabilium *Apollinaris l. 1. c. 18. p. m. 76.* cum melle coctos *Cynorrhodi* fructus.

Mirum hoc posset, & sine methodo videri ob saporem eorum acidulum, qui tussim potius augebit. Verùm non deseret eum experientia, quâ constat, dulcibus acida juncta pro expectoratione plurimum afferre solatii. Vide in hanc rem *Pauli Barbette Praxin. p. m. 92.* ubi in tussi phthisicorum dulcia acidis non temperata plus

plus nocuisse scribit. Sic in tussi pleuriticorum pro sputi cruenti rejectione facilitanda olim in literis dulcia acidis maritata nobis commendavit *D. D. Wedelius* noster. Sic videmus sirupum asthmaticum ingredi acida. Sic oxymel scilliticum acida pariter recipere novimus. Ita *B. D. Michaëlis* spiritum asthmaticum acidulum miscebat olim cum sirupis asthmaticis, miraque misturâ hac præstitit. Consimiliter novimus in tussi infantum asthmatica vel solam vini rubelli cum saccharo candis. miscelam maximarum extitisse virium. Confert usus acidulorum cum dulcibus in tussi à lympha viscosa, & glutinosa, quam resolvit. Non dantur, ut tussim sopiant; sed ut facultatem sopitam, vel languidam, ad excretionem excitent. Sed hæc obiter.

In Pleuritide.

INter alia specifica commendat *D. Hoffmannus in meth. med. Wal. p. m. 308.* *Flores Cynosbati* candidos. An autem ex vi quadã specifica, an verò ex accidente hoc præstent, non addit. Videtur, si quicquam conferant, conferre ideò, quatenꝰ calorem p. n. qui ardenter hîc gliscit, temperant, & febrim sic unà respiciunt.

In Hæmoptöe.

NOn contemnendus *Cynosbati* erit usus. Quô sine *Thomas Willis in pharmaceut. ration. p. 2. sect. 1. c. 7 p. 168.* solitus est offerre, *excrescentiæ spongiosæ in Cynosb.* pulverem ad ʒß. hoc in adfectu bis in die adsumendum, tanquàm remedium singulare. Et non immeritò. Sunt enim *spongiæ Cynosbati* præter vim stypticam, & facultate anodyna dotatæ, quam in hæmoptysi unicè commendat *Sophronius Kozackius d. hæmorrhag. l. 2. c. 4. p. m. 456.* Sic idem *Willis l. c. p. 163.* in hæmoptöe egregium quoque habet *Electuarium*, quod sequens est.

℞. Conserv. rosar. rub. *Cynorrhod.* ā ℥ij. pulv. sem. papav. alb. hyoscyam. ā ʒij. spec. d. tragacanth. frig. ʒiß. lap. hæmatit. præp. sangu. dracon. præp. ā ʒß. c. sirup. fl. papav. errat. q. s. F. Electuarium.

Nos hunc in finem miscere consuevimus tùm pulverem spongiarum *Cynosbati* cum Catechu præparata justa quantitate; tùm addimus Ræ Catechu Essentiam spongiarum *Cynosbati*, & feliciter illis h. l. utimur.

In Vita Prolonganda.

EXimius quoque usus *Cynosbato* adsignatur à *Paracelso in manual. 2. Archidox. annexo*,

nexo, edit. 1582. quô loco inter alia arcana, quæ itidem ex helleboro, valeriana, meliſſa &c. prolixâ ſerie recitat, etiam flores *Cynosbati* reponit, eosque in formulam ſequentem recipit. Verba ejus, quoniam non bonæ latinitatis ſunt, noſtris commutabimus. ℞. flores juniperi, menſe Majo qui inveniuntur, & in pulverem nigricantem redige, quibus adde *flores Cynosbati* pariter in pulverem nigricantem redactos. Ambos vaſi include vitreo benè munito, quod maſſæ panis jamjam in clibanum mittendæ inſere, in quo tamdiu materiam relinque, uſq; dùm vi caloris in oleũ convertatur. Et hoc eſſe ſummum *ad ſervandos ſenes* arcanum, laudarique ea propter ſupra omnem naturam, ibidem docet.

Audiamus ipſum porrò de *meliſſâ* in Q. Eſſentiam redactâ paria profitentem, & per eam ſenes rejuveneſcere, pilos & ungues decidere, vetulis menſtrua redire &c. garrientem. Vid. *ejusdem archidox. l. 4. p. m. 6. d. Q. Eſſent. Item archidox. l. 10. d. vita longa, p. m. 166.* pariterque *manual. 2. p. m. 406.* Confer quoque, ſi placet, *Boylæi lib. of the Uſefulneſſe of natural philoſophy part. 2. p. 182.* nec non *le Febure Chim. ſub Q. Eſſent.*

Q. autem *Eſſentia meliſſæ* ejusdem ex mente quorundam ita parari dicitur: ℞. herb. meliſſæ minutim conciſ. q. ſ. deſtilla in MB. ſic herba ſubſidebit moleq; fiet mi-

 nor,

nor, quam è vase exime, recentem posteà immitte, iterũq; destilla. Hinc ℞. magmata illa post destillationem residua, quæ in cucurbitam aliam immittas, affundendo pri9 aquam destillatam propriã. Fiat postmodùm putrefactio in fimo equino per mensem, dein in B. destilla ad siccitatem, hinc in phialam inde, & panem similagineum adde, ita tamen, ut aqua superemineat; sigilla vasculum, & ad putrefactionem denuò repone in fimo equino per mensem. Posteà aperto vitro & XX adaptatô ebulliat materia, & destilletur inde spiritus penetrantissimus. Remanentiam ex ampla destilla, & impetrabis oleum.

Sic ex *Atlante Sinico p. 77.* allegat *D. D. Morhofius d. metall. transmut. c. 3.* Sinenses simplicẽ jactitare herbam, quam mille vocant annorum, ac immortalem esse, quâ in aqua maceratâ & epotâ albos crines in nigros commutari dicunt. Sed hæc in transitu dicta sunto.

III.

In Affectibus infimi Ventris, nempè Abdominis.

SUMMARIA.

In ardore ventriculi commendantur fruct. cynosbati. Autoritates. Quomodo autem eum curet? Cum Sp. ⊖li sustulit Sachsius eum. In calo-

calore Epatis quomodo fr. cynosbati prosint? A variis h. l. dilaudantur. Ingrediuntur Rotulas D. Schenckii. In icteritia confert spiritus Arillorum cynosbati. Hydropi medentur fructus. Historiæ. In dysenteria prosunt. Autoritates. Utendi modus. Roob cynosb. multorum Electuaria antidysenterica ingreditur. Arillos cynosb. recipiunt quoque pulveres quidam antidysenterici. Vermes vermibus expelluntur. Probatur. Vermiculorum cynosb. in verminatione usus. An tutò internè queant exhiberi? Citantur affirmantes & negantes. Observatio de semine Cinæ. Vermes inde nascuntur. In lithiasi an specifice conferat? Rationes pro & contra. Distinctio autoris. Modus agendi fructuum, arillorum, & spongiarum h. l. qui? Illustratur. Utendi modus medd. ex cynosbato. Recensentur variæ formulæ pulverum, morsulorum, pilularum, vinorum medicatorum, aquarum, potiunculorum, spirituum, Elixiriorum, Tincturarum, Julapii, Electuariorum, Conditi, Olei compositi &c. quæ specificè in calculo prodesse dicuntur. Usus spongiarum in dysuria. In mictione cruenta ingrediuntur fructus Electuarium Timæi. In hæmorrhoidum dolore Unguentum D. D. de Bernitz recipit spongias cynosbati. Fruct. cynosbati usus in hæmorrhagiis uteri. Explicantur. Recensentur varia euporista. In fluore albo quoque conferunt, & in procidentia uteri spongiæ cynosbati.

In Ardore ventriculi.

IN molestissimo hoc, iisque præprimis familiari affectu, qui iracundiæ æstro facilè cientur, specificè fructus *cynosbati* conferre, autor est *D. D. Michaelis in notis MSS.* ad *Schröderi pharmacop.* præsertim, si arilli fuerint exemti. Consentit *Schönbornius in manual. med. pract. p. m. 101.*

Nos hujus successus nullam habemus experientiam, qui vel absorbentibus siccis, vel mucilaginosis malum tollere hactenus consuevimus. Credimus tamen, si ab ebullitione bilis, ceu in tertiana &c. fieri solet, affectus hic oriatur, fructus *cynosbati* multum præstare posse solatii, aciduli licet sint, intuitu, quòd & olim spir. ⊕li hoc in adfectu se feliciter usum fuisse referat *B. Sachsius in Gammarolog. p. m. 734.*

In Intemperie Epatis calida.

MErentur & hîc medicamenta ex *cynosbato* suas laudes. Sive enim bilis justo fuerit acrior, blandulo suo acore eandem temperabunt, sive nimis fuerit fluxilis, ad consistentiam justam eam reducent, sive tandem fuerit volatilis, eam quasi figent, & hinc effluvia illa calida massæ sangvineæ communicata præcipitabunt. Quo nomine *Tilemannus in d. mat. med. p. 42.* Roob *cynosbati* pro eadem intentione dilaudat. Sic *C. Swenckfeldius d. stirp. Siles.*

Silef. p. 184. carnem *cynosbati* ad reprimendos vapores, & contemperandos humores magnam habere vim afferit. Confentit quoque *Hoeferus in Hercul. med. p. m. 201.* Sic fructus h. l. commendaffe etiam *Cratonem à Krafftheim*, ait *D. Michaelis* in Collegio Schröd. fuccum infpiffatum *cynosbati* in affectu hypochondriaco calidiore commendat pro ufu diætetico *Martinus Martini d. morb. mefent. p. m. 179.* Hinc quoque *D. Schenckius in fyntagm. præfcrib. formul. fect. 5. c. 2. p. 248.* in *Rotulas* fuas recepit pulpam *cynosbati*, quæ fic fiunt:

℞. Conferv. Rofar. ℥ß. *carnis cynosbat.* condit. ʒij. fpec. diagalang. ℈ij. aromat. rofat. ℈j. facchari in decocto acori q. f. foluti ℥iv. M. F. *Rotulæ*. D. In fcatula. *Dofis 5.* poft prandium.

In Icteritia.

SPiritum arillorum *cynosbati* inter alia commendat *Dn. D. Crügerus difput. d. ictero* § 26. forfan ob naturam fuam falino-oleofam, ratione cujus meatuum cyfticorum obftructionem referat, vifciditatem bilis incidit, acidum temperat. Sicuti aliàs novimus ex *Sylvio* & aliis, volatilia oleofa plurimum in icteritia poffe. *Vid. ejusdem med. practic. l. 1. c. 46. p. m. 452.*

In Hydrope.

TUm poft Febres chronicas habitum cachecticum ægroto circumferente, tùm in

hydropiſi ſcorbutica cum ardore viſcerum internorum, ☐a valdè rubicunda, & quaſi bolo remiſta exiſtente, uſus fructuum *cynosbati*, noſtrâ qualicunque experientia, eximius eſt. Sic per literas nobiſcum aliquando communicavit *D. D. Wedelius*, Jenæ ante aliquot annos calcantis cujuſdam uxorem diu ex hydropiſi decumbentem, tandem fructibus *cynosbati* integris cum arillis in vino decoctis diu uſam plenariè ſic reſtitutam fuiſſe. Sic in mentem venit hiſtoria virginis plebejæ ex confirmato hydrope periculoſè laborantis, ubi tùm abdomen, tùm crura ob cuticulæ rupturam lymphâ diu ſtillabant copioſâ, quæ, omnibus incaſſum adhibitis, generoſis licet pharmacis, denique ſuaſu cujuſdam decoctô fruct. *cynosbati* unà cum arillis contuſorum cum cerevifia novella triticea paratô, inter continuationem unicè ſanata fuit.

In Dyſenteria.

PAſſim apud autores medicos fructus *cynosbati*, eorumque medicamenta commendari videmus. Sic inter dyſenterica reponit fructus *cynosb. Jo. Freitagius in auror. med. l. 1. c. 34. p. 179. Spongias cynosbati* tanquam euporiſton certiſſimum dilaudat *Raymundus Minderer in med. militar. per Dn. Cardilucium nuper editâ, c. 7. p. m. 242.* qui mandat eoſdem in vino rubello, vel alio, in quo prius cortices juglan-

juglandium, vel summitates quercus fuerint decoctæ, coquere, dehinc exsiccare, & in pulverem redigere. Sic idem *Cardilucius p. 238. l. c.* Roob *cynosbati* ceu singulare pariter h. l. deprædicat. Consimiliter *Timæus à* Güldenklee *tract. d. dysent. p. m. 31.* fructus *cynosbati* cum saccharo conditos itemque *p. 32.* decoctum eorundem pro potu ordinario commendat. Hinc quoque ingrediens sunt *Electuarii* ejusdem *antidysenterici l. c. p. 22.* descripti, quod ita paratur:

℞. Conserv. Rosar. vet. electuar. cydonior. ana ℥ij. condit. *fruct. cynosbat.* nucum Indic. myrobalanor. ana ℥j. theriac. Venet. ʒij. rad. tormentill. pulv. ʒiß. Smaragd. or. præp. Corall. rubr. præp. ana ℈j. M. cum sirupo ribium s. q. pro *Electuario.* Dosis instar nucis juglandis.

Ingreditur quoque Roob *cynosbati Electuarium antidysentericum Argentoratense*, quod descriptum extat in thesauro pharmac. *D. D. Frid. Hoffmanni* Clavi Schröd. annexo, *pag. 57.* quod mira præstitit:

℞. Conserv. Rosar. vet. diacydon. s. ana ℥vj. *Roob cynosbat.* prunor. sylvestr. ana ℥iij. d. cornis ℥vj. conserv. symphyt. maj. ℥iv. nucis moschat. ℥ß. rad. tormentill. ℥ivß. bistort. ℥ij. sang. dracon. ʒiiß. boli Armen. ppt. ʒij. lap. hæmatit. præp. ʒij. croc. ♂. adstr. ʒiij. succ. cydon.

don. ℥iij. ſirup. myrobalan. d. roſis ſiccis ana ſ. q. F. *Electuarium.*

Pulverem quoque *Anonymi*, quem deſcripſit *D. D. Bierlingius in append. adverſar. p. 110.* ingrediuntur antidyſentericum tùm mitiorem, tùm fortiorem, oſſicula *cynosbati*. *Mitior* ita paratur.

℞. rad. tormentill. ſanguiſorb. ſerpentar. plantag. nymphæ. conſol. ana ʒij. h. trifolii, herniar. millefol. gnaphal. ana p. ij. ſumach. ℥ß. oſſicul. ſorbi, meſpilor. *cynosbati*, corniger. ana. ʒj. rhabarb. toſt. ℥ß. flor. roſar. r. Mß. balauſt. ʒij. carnis cydon. ſicc. ℥ß. maſtich. ʒv. caſtan. n. iij. glandium n. ij. nucum cupreſſ. n. v. M. & contunde.

Fortior autem ſic habet:

℞. alumin. ℥ß. Oli alb. ʒij. bol. ℥ß. ▽ ſigill. Strig. ʒij. acaciæ ſucc. ſangv. dracon. ana ʒj. lap. prunell. trochiſc. d. ſacchar. ʒiij. *cynosbat.* ʒij. gallar. n. v. cinnamom. ℥ß. corall. præp. ʒij. M. F. *Pulvis.*

In Lumbricis.

Vermes vermibus expelli, & medicinam ex vermibus paratam in vermium cedere internecionem, paradoxon equidem videri poſſet, ſed in rei veritate ita eſt. Ut plura huc non accerſamus exempla, ſufficiat, quòd ex *Fabro D. Chriſtianus Lange in not. ad aphor. Hippocr.*

Hippocr. MSS. sect. 3. aphor. 26. in verminatione puerorum aquam & cineres lumbricorum terrestrium ceu euporiston commendat. Perinde etiam vermiculos in spongiis *cynosbati* candidos, seu tineas pulverisatas ad expellendum intestinorum vermes à multis feliciter usurpari autor est *Crollius d. signatur. p. m. 35.* Nec dissentit *Macasius in promptuar. mat. med. l. 2. p. 169.* qui non tantùm ad lumbricos intestinales, sed ad pediculos quoque, lendes, dracunculos &c. eos commendat.

Dubium hîc posset moveri, an tutò intra corpus queant exhiberi, cum metus sit, ne ibidem reviviscant, qui metus olim de lumbricis terrestribus invasit *Henricum ab Heer lib. 1. obs. 9.* Sed metum istum esse inanem vel inde constabit, quòd totâ die in praxi millepedes, cancri aliaque in usum vocentur, sine ulla incommodi alicujus sequela. An verò sine noxa lumbrici intestinales contra verminationem exhiberi queant, dubio non caret? Affirmantium & negantium rationes collegit *D. Beckerus in microcosm. med. p. 120.* Vide quoque *D. Hoffmanni Clavem Schröd. p. 705.*

Obiter hîc annotamus, quod de semine *Cinæ*, seu Santonici, decantatissimo illo contra lumbricos microcosmicos specifico, ex *Rocha* Italo d. thermis, citavit olim *D. Michaelis in Collegio Schröd. MSS.* scilicet, si semen hoc pulverisetur, & cum tribus partibus fari-

næ

næ interventu aquæ calidæ probè mistum, solis radiis exponatur, idipsum in vermiculos tandem animari.

In Calculo Renum & Vesicæ.

Lis est inter autores quosdam, an pharmaca *ex cynosbato* specificè, an verò per accidens hìc prosint?

Specificè & ex proprietate quadam tùm fructus cum arillis, tùm spongias calculo mederi affirmant præter alios *Paracelsus*, qui allegantibus id *Hartmanno in not. ad Crollii basilic. Chim. p. m. 43.* & *Petræo in Nosolog. Harm. dissert. 40. p. 330.* spongias vocavit expulsionem calculi sui, seu *Sunith*, quarum experientiam in proprio corpore sustinuit, quibusque ad omnis generis calculos expellendos fortius inter vegetabilia non inveniri asseruit &c. Idem sentiunt *Charleton d. lithiaf. p. 205. Th. Bartholinus d. medic. Danor. dissert. 4. pag. 118. Jo. Jonstonus ideæ med. pr. l. 4. s. 8. c. 1. articul. 3. p. 597. Felix Platerus prax. l. 2. p. 569. Jo. Heurnius meth. ad prax. l. 2. p. m. 215. Dan. Mylius pharmacop. Spagyr. l. 2. c. 8. p. 302. Dan. Sennertus in prax. p. 7. l. 1. c. 6. Matth. Unzerus d. calcul. l. 1. c. 20. Mindererus in med. militar. per D. Cardilucium nuper edit. p. 400. Autor medicin. Dygbæanæ tom. 2. p. m. 7.*

Ex accidente verò, quatenus instar aliorum adstringentium Renum debilitatem confortent,

fortent, seu archeum roborent sedentque, medicamenta ex *cynosbato* putant conferre in calculo *Fuchsius*, citante *Dodonæo stirp. histor. pempt. 2. l. 10. pag. 1920. C. Hoffmannus l. 2. d. med. officinal. c. 30. p. 74. §. 18.* itemque *Frid. Hoffmannus in clave Schröder. l. 4. s. 1. §. 134.* aliique.

Nos dicimus, rem distinctione quadam posse expediri. Fructus *cynosbati*, quatenus exemtis arillis seorsim exhibeantur, plus roborando, plus calorem p. n. temperando, quàm calculum pellendo, agere. Quatenus verò arillos adhuc possideant, & ritè præparentur, utrumque præstare posse, tùm archeum roborando, tùm calculum unà expellendo.

De arillorum verò *cynosbati* vi lithontriptica, nemo, speramus, dubitabit, modò attendat oleosam eorundem substantiam, quâ copiosè pollent, cum ⊖le quodam volatili conjunctam, quæ omnia praxis Vulcanica palàm faciet. Hinc putamus, arillos tùm in substantia, tùm in forma oleosa, (ob utramque hinc à *D. D. Wedelio d. med. facult. p. m. 113.* commendantur) in lithiasi conferre non solùm acorem ventriculi excessivum obtundendo, sed ultra ejusdem pomœria positos viribus integris quoque ad renes pertingendo, ibique acidum temperando, dolores ex ⊖lium angularium figuris oriundos sopiendo, calculi

poros

poros penetrando, eumque ad excretionem ita disponendo.

De Spongiarum verò vi calculifraga ita sentimus, nempe easdem exserere hanc tùm ratione facultatis abstersivæ, sive in ⊖ crystallinum fuerint conversæ; sive in vino, in quo ⊖ deponunt promptè, & cum acido in ens tertium, abstersivum scilicet mutantur, sint decoctæ: tùm ratione ♀ris sui anodyni, quod in sinu gerunt, & cujus ope dolores demulcent & Archeum roborant.

Exhibentur autem medicamenta ex *cynosbato* in calculo vel cruda & in substantia; vel in medicamina artificiosè parata. Commemorabimus potiora & per experientiam nobilitata. Omnia enim, quæ passim circumferuntur, hîc accumulare, esset spicilegium colligere.

In forma *pulveris* simpl. Arillos exhibent *Hieronymus Bock in herbar. c. 19. p. 365. Ramlovius d. nephritid. p. m. 536.* & alii. Spongias pulveratas ad ℥j. offerri refert *Simon. Pauli in quadripart.* ex *Laurembergio*, l. c. Sic & *Paracelsus* pulvere spongiarum usus esse dicitur à *Petræo in Nosolog. Harmon. dissertat. 40. p. 330.*

Pulveres quin etiam *antinephriticos compositos* ingrediuntur *Cynosbatina*. Sic præter alios multæ famæ sunt sequentes.

B. D. Michaelis Pulvis in calculo specificus,

qui

qui extat in collegio Morelliano MSS. ita habet:

℞. sem. violar. purp. lapath. major. milii ☉. ana ℥ß. lap. nephritic. præp. ʒiß. *pulv. glomorum cynosbati* (arcanum) ʒj. M. F. *Pulvis* subtilissimus. *Dosis* ʒß ad ℈ij.

Jo. Car. Rosenbergii Pulvis antinephriticus in Rhodolog. p. 2. c. 33. p. 371. qui describitur, sic componitur.

℞. *spongiar. Rosar. sylvestr.* virgæ aur. ana ℈j. fruct. *cynosbat.* exsiccat. sem. rosar. ana ʒß. sem. violar. ʒij. M. F. *Pulvis*. Dos. ʒj. ex vino albo.

Gregor. Horstii elegantissimus quoque est, qui sub pulveribus lithontripticis à *Rolfincio medicin. special. comment. l. 9. s. 4. c. 1. p. m. 805.* descriptus etiam extat:

℞. asellor. præp. ℥ij. sanguin. lepor. præp. hirci præp. *spongiar. Rosar. sylvestr.* sem. violar. purp. ana ℥j. spec. lithontribon ʒij. M. F. *Antidotus*.

Pulvis contra calculum *Felic. Plateri* ex communicatione *D. D. Bierlingii in append. adversar. cur. p. m. 105.* sic paratur:

℞. pulv. milleped. ℥j. ciner. passercul. troglodyt. testar. ovor. lumbric. ana ℥ß. crem. ♀. ʒj. ⊖. succin. ʒj. officul. mespilor. *cynosbati* ana ʒiij. lap. judaic. spongiæ ana ʒij. vitri usti ʒiij. sem. milii ☉. ℥ß. dauci ʒij. althæ. ʒiij. fl. chamomill. Rom. Mß. M. F. Pulvis.

Ad pulveres pariter referimus *Elæosacchara*, cujusmodi describit ceu expertissimum *Dn. Licent. Scharffius tr. d. juniper. cap. 20. pag. 281.* quod ita fit:

℞. *ol. expreff. arillor. cynosbat.* ℈ij. destillat. juniper. terebinth. ana ʒß. magister. anodyn. ʒj. ⊖ juniper. petroselin. ana ʒß. sacchar. q. s. M. S. Stein-Pulver.

Morsuli nephritici D. Ramlovii tr. d. nephritid. c. 6. p. m. 623. etiam recipiunt fructus *cynosbati*, & ita parantur.

℞. condit. rad. eryng. pimpinell. *fruct. cynosbat.* flor. violar. purp. genist. ana ℥ß. spec. d. tragacanth. fr. ocul. 69. præp. lap. percar. præp. ana ʒij. sangvin. hirc. præp. pulv. ventricul. gallinar. sem. 4. frigid. major. ♀ ⊕lat. magister. petroselin. troch. alkekengi ana ʒiß. Condit. cort. citri, aurant. ana ℥ß. M. f. a. & cum saccharo in aq. petroselin. solut. q. s. F. Morsuli. Irrorentur spir. ⊕l. Dosis ℥ß.

Pilulæ nephriticæ *Mynsichti* in Armament. med. chym. sect. 6. p. 146. sic habent.

℞. terebinth. cypriæ in succo limonum lot. ʒiß. succ. portulac inspissat. ʒvj. extract. liquirit. rhabarb. ♀ ⊕lat. ana ʒiij. *spongiar. Rosar. sylvestr.* nucleor. persicor. ana ʒiß. ⊖ succini alb. ⊕ præp. ana ʒj. magist. ocul. 69. percar. ana ʒß. M. Formentur in massam, ex qua *Pilulæ*, cum ☍ citri fiat. Dosis ʒj. post pastum.

In forma *Decocti* commendat fructus *cynosbati Jonstonus Idea med. pr. l. 4. tit. 8. c. 1. art. 3. pag. 597. G. Horstius herbar. l. 1. sect. 3. cap. 14. n. 55.* ante balneum fructus *Cynosbati* decoctos suadet. In vino maceratas spongias *Cynosbati* dilaudat *D. Michaelis in collegio Jonston. MSS.* quo loco & species pro modulo elegantissimas habet, quæ sequentes sunt:

℞. herb. herniar. saxifrag. virgæ aur. ana M j. *glomor. cynosbat.* n. iv. rad. ononid. eryng. bardan. ana ℥ij. Concis. contus. gr. m. D. S. *Species* zum Püschlein in Wein.

In forma *Spiritus vini* commendant *Cardilucius lib. d. diæt. c. 30.* Arillos *cynosbati* exsiccatos & pulveratos, hinc cum 🜄 infusos. Sic *D. Rolfincius* recipit fructus *cynosbati* cum nucleis in species zum Hauß-Brantewein. Vide ejusdem *meth. med. special. l. 9. s. 4. c. 1. p. m. 803.* Idem *p. 807.* alias describit species antinephriticas, quas ingreditur caro *cynosbati* exossata, zum Wacholderwasser.

Sequuntur *Aquæ* nonnullorum *compositæ* antinephriticæ, quæ *cynosbatum* quoque recipiunt. Egregia est, quam *Finckius enchirid. Dogmat. Hermet. p. m. 179.* describit.

℞. nucleor. persicor. cerasor. prunor. sylvestr. amygdal. amar. ana ℥j. dulcium ℥iß.

sem. anisi, fænicul. ana ʒj. milii ☉ saxifrag. vel radic. ejus ana ℥ß. *cynosbat.* rad. ononid. Liquirit. ana ℥ß. ʒij. petroselin. sicc. ʒiiß. malvæ, bismalv. ana ℥ß. asparag. ʒiij. bacc. juniper. ʒij. rusci, halicacab. ana ℥ß. limatur. lign. nephrit. ℥iß. macerentur in vini generosi mensur III. F. *Destillatio.*

Sic *Freitagii Aqua* contra calculum recipit *semen cynosbati. Vid. auror. med. l. 2. c. 36. p. 355.* Item *Gregorii Horstii, vid. Operum tom. 2. l. 9. obs. 31.* Ingreditur quoque Aquam Ungaricam antinephriticam, item Aquam contra calculum *Döreri*, à *D. D. Bierlingio append. ad analect. cur. p. 25.* descriptas; Pariter quoque *Brengeri*, cujus meminit *Ramlovius tr. d. calcul. p. m. 567.*

In Potiunculis quoque locum habent medicamenta ex *cynosbato.* Sic *D. Michaelis* in Collegio Jonston. MSS. dilaudat:

℞. aq. contra calcul. usitat. ℥ij. sirup. d. althæa Fernel. ℥j. lap. nephrit. præp. ℈ij. magister. ocul. 69. ℈j. spirit. fragor. *cynosbat.* ana ʒj. M.

Ita D. *Hagendornio*, Patruo olim meo familiaris fuit sequens potiuncula in nephritide.

℞. aq. nucleor. composit. *baccar. Cynosb.* ã ℥ß. spirit. terebinth. g. x. M. pro j dosi.

Spiritus lithontriptici quoque nonnullo-

rum

rum *Cynosbati* conſortium amant. Hinc multæ experientiæ eſt, quem nobiscum olim per literas communicavit *D. D. Wedelius*, qui ſic fit:

℞. rad. bardan. ononid. pimpinell ã ℥j. allii ℥ß. fol. heder. terr. cerefol. virgæ aur. ſaxifrag. aur. herniar. ã mij. flor. ſaxifrag. alb. miij. chamomill. Rom. mj. ſem. dauci, hyperic. ã. ʒiij. ſaxifrag. alkek. *Cynosbat.* ã ℥iß. nucleor. armeniac. perſicor. ceraſor. ãã ʒvj. amygd. amar. ℥iij. lign. nephrit. ℥j. Conciſ. gr. m. infund. 🜄. menſur. iv. digere per ♂ ρ, & per XX deſtilla.

D. Rolfincii ita paratur:

℞. bacc. juniper. mij. rad. ſaxifrag. alb. mj. raſur. rad. glycyrriz. ℥j. ſem. lithoſperm. contuſ. ℥iß. cicer. rub. ʒij. jujub. ſebeſten ãã. n. vj. *Cynosb. c. nucleis contuſ.* mj. ſantal. r. ʒj. Conciſ. contuſ. gr. m. ſ. a. macerentur in 🜄 juniper. q. ſ. per triduum, vaſe benè clauſo. Colatura ſervetur ad uſum. *Vid. ejusdem meth. med. ſpec. l. 9. ſ. 4. c. 1. p. 803.*

Spiritus lithontripticus Warſavienſis deſcriptio extat in *medd. Cnöffelianis Ann. VII. Ephemerid. Germ. annexis p. 125.* à *D. D. d. Berniz* communicata, quæ ſequens eſt:

℞. fol. hederæ terr. m. iv. ſem. dauci mij. rad. petroſelin. raphan. maj. ãã. ℥iß.

 fruct.

fruct. Cynosbat. mij. nucleor. persicor. contus. mj. spirit. avenac. ℔viij. stent in infusione per octiduum, posteà destillentur in MB. seu VB. spiritus in prima destillatione prolectus tingatur cum foliis heder. terr. q. s. in colorem viridissimum. *Vel.* ℞. hujus spiritus ℔j sirup. violar. ℥iij. ⊖lis, vel ♀ g. aliquot. Et erit simili modo 🜄 lithontripticus viridissimus.

Spiritus contra calculum Agricolæ comment. in Poppium p. 733. ita habet:

℞. *Comar. sylvestr. Rosar.* (Schläffe) ℥iij. *onisćor. pulv. ℥ß. sem. milii ☉, dauci cret. saxifrag. urtic. Rom. petroselin. raphan. ā. ℥j. anis. genist. alkekeng. bacc. juniper. sangv. hirci, ocul. ♋. lap. spongiar. percar. silic. calcinat. ā. ℥iß. cinamom. galang. rhabarb. opt. aristoloch. rotund. ā. ℥j. rad. liquirit. asari, ononid. althæ. ā. ℥ij. M. affunde 🜄. Stent in digestione per 14. dies. Destilla. *Dosis* 2. vel. 3. cochl.

Sic nobile pariter & principale ingrediens sunt *Glomi Cynosbati Essentia Nephritica B. D. Jo. Michaëlis*, quâ in praxi sua amplissima felicissimè olim usus est, cujusque parandi modus ex communicatione *Dn. Zittemanni*, Chimici apud Lipsienses solertissimi, sequens est:

℞. *Glo-*

℞. *Glomor Cynosbati* no. VIII. Herb. heder. terreſtr. flor. virgæ aur. ā. mj. cyani, calcatrippæ āā. mß. rad. ononid. eryngii, bardanæ āā. ℥iij. glycyrrhizæ ℥iß. ſem. milii ☉lis, ſaxifragiæ, lapathi major. āā. ℥ß. fruct. alkekeng. ʒvj. Conciſ. & contuſ. affunde 🜄, vel juniperi q. ſ. digere, extrahe & filtra.

Elixiria antinephritica ingreditur quoque *Cynosbatos*. Sic, ut ex ungue leonem, multæ celebritatis & uſus ſunt:

D. Rolfincii Chim. in A. F. redact. l. 4. ſ. 2. c. 14. p. 239. deſcriptum, quod ita habet.

℞. baccar. juniper. ℥iij. heder. arbor. ℥j. alkekeng. ℥iß. *Sem. Cynosb.* lithoſperm. āā. ℥j. rad. ſaxifrag. alb. pimpinell. ononid. raphan. ruſt. āā. ℥j. fragor. maturor. c. ſem. ℥ij. ligni nephrit. veri ℥j. fol. heder. terr. veronic. virgæ aur. ā mij. fl. melilot. chamomill. āā. mß. 🜄. è fecibus q. ſ. ſpirit. ⊖ ℥ij. In digeſtione ſtent per ☍ tres. Tinctus & eſſentia imprægnatus ſpiritus ſervatur ad uſum. Exaltari poteſt ſpir. ⊖. ⊕. Doſis ℈ß. ℈j. ʒß. in liquore conveniente.

D. Jo. Theod. Schenckii in Syntagm. præſcrib. form. p. 147. ſic paratur:

℞. ſpirit. ſambuc. & juniper. è bacc. āā. q. ſ. infunde nucleor. perſicor. cera-

for. mespilor. officul. *Cynosbat.* sem. milii ⊙, paliuri, cucurbitæ, bacc. alkekeng. fragor. myrtill. āā. part. æqu. Stent aliquandiu in digestione & fermentatione, posteà quod tinctum est decantetur, novus iterùm liquor affundatur, donec omnis ejus vis fuerit extracta. Spiritus decantati & virtute lithontriptica impraegnati destillentur, l. a. Spiritus prolectus edulcoretur ad modum aquæ vitæ. Transcoletur. F. *Elixir.*

D. Ramlovii Elixir nephriticum *de calcul. c. 6. p. m. 662.* ita habet:

℞. extract. *spongiar. Cynosbat.* saxifrag. ononid. ana ℨj. resolve omnia in spiritu fragor. heder. terr. ana ℥iß. Filtra. Dosis à ℈j. ad ℨß. in jusculo pinguiore, vel decocto idoneo.

Tincturam Nephriticam D. Rolfincii meth. med. special. p. m. 807. descriptam ingrediuntur fructus *Cynosbati*:

℞. rad. saxifrag. alb. ononid. petroselin. eryng. ana ℥iij. bacc. juniper. mj. lauri mß. sem. lithosperm. anis. petroselin. Macedon. cicer. rub. gran. alkekeng. *Cynosbat. cum nucleis* ana ℥ß. nucleor. persic. cerasor. ana ℨij. concis. contus. in spiritu juniperi rect. q. s. ad eminentiam transversæ manus stent

in

in digestione lenis caloris. Colatura novis speciebus vigorata, & iterùm colata, in vitro servetur. S. *Tinctum Nephritica.*

Julapium nephriticum D. Balthasar Timai à Güldenklee *in casibus med. l. 3. p. m. 172. Cynosbatos* quoque ingreditur:

℞. aq. fragor. ℔iß. cordial. nostr. frigid. ℥iiij. succ. citri recent. ℥ij. rob. fragor. ℥iij. *brodii fruct. Cynosbat.* condit. ℥j. M. pro Julapio.

Electuaria paritèr antinephritica fiunt cum *Cynosbati* medicamentis. Sic miscet *D. Michaëlis* Roob juniper. & *Cynosb.* ana in Electuarium elegans. *Vid. ejusd. Colleg. Jonst. MSS. d. calculo.*

Philippus Grulingius med. pract. l. 4. p. 347. sequens commendat:

℞. *Conserv. Cynosbat.* ℥iiß. rad. eryngii condit. ʒvj. extract. juniper. ʒiß. lap. nephrit. præp. ℈iv. spirit. ⊖. ℈j. M. *Dosis* ʒj.

D. Ramlovius tract. d. calcul. c. 6. p. m. 617. sequens pro secreto habet:

℞. *Roob Cynosb.* c. vin. parat. juniper. ana ℥iv. condit. rad. eryngii ℥ij. fruct. alkekeng. n. 60. cum aqua propria præparat. ⊖ ♀ opt. ℥j. In mortario vitreo vel marmoreo omnia contunde, quibus affunde aq. fragor, q. s. pro

pulmento, & spir. ⊕li ℥ß. M. exactissimè, & per 24 horas digere, exprime, & ad consistentiam mellis coque. Hinc adde Cassiæ succ. ℥ij. extract. ononid. rad. saxifrag. ana ℥j. solut. ocul. ♋. & fruct. alkekeng. magister. petroselin. ♀ri, milleped. præp. ana ℥ß. ⊖ ononid. lap. spong. succin. genist. chamomill. ana ʒij. elæosacchar. fænicul. cinnamom. macis ana ʒj. Adde tandem sacchar. q. s. & serva. *Dos.* ʒß.

Aliud *Electuarium* lithontripticum cum fructib. *Cynosbati* vide in *Rolfincii consultat. med. l. 9. consil. 2. p. m. 826.* itemque in *Dan. Mylii pharmacop. spagyr. l. 2. c. 8. p. 338.*

Conditum Ramlovii antinephriticum tr. d. calcul. p. 613. recipit pro basi fructus *Cynosb.* conditos.

Inter *Conservas* miscent *Rolfincius method. med. special. p. 806.* & *Grülingius de calcul. p. m. 60.*

Olea in nephritide externa eaque composita ingreditur unà *oleum arillorum Cynosbati expressum.* Sic miscet id ipsum cum oleo nucleor. cerasor. express. *D. Michaëlis in Colleg. Heurnian. MSS.* Sic *Dn. Lic. Scharffius* deprædicat sequens:

℞. ol. coct. scorpion. melilot. chamomill. ana ℥ij. express. amygdal. amarar.

rar. *arillor. Cynosb.* ana ℥iß. destillat. terebinth. juniper. ana ℥j. petroselin. ℥ß. M. S. Eusserlich zertheilend Oehl.

In Urinæ difficultate.

SPongias *Cynosbati* conferre, *Laurembergius differt. d. calcul.* autor est, citante *Sim. Pauli in Quadripart. sub Cynosb.* Sic fructuum *Cynosbati* Conservam dilaudat *Riverius in prax. l. 14. c. 1. d. calculo.* Pariter *Hieronym. Bock. in herbar. c. 19. p. 3. pag. 365.* spongiolas in cineres redactas, exhibitasque urinam promovere adserit.

In Mictione cruenta.

B*Aldassar Timæus à* Güldenklee *Cas. med. l. 3. c. 40. p. m. 170.* fructus *Cynosbati* exsiccatos in Electuarium sequens recipit:

℞. Conserv. radic. cichor. ℥iij. Rosar. rub. ℥ij. spec. diarhod. diatr. santal. ana ʒj. extract. tormentill. ℈j. spodii, corn. cerv. ust. præp. ana ℈j. Corall. r. præp. ℈iv. Carnis cydonior. condit. ʒvj. *fruct. Cynosbat.* condit. ℥ß. M. c. sirup. Corall. Querc. pro Electuario.

In Dolore Hæmorrhoidum.

ETiam in *Cynosbato* inveniunt solatium cæcæ & cum tumore atrociter dolentes. Celebre hunc in finem est *Oleum hæmorrhoidale à D. D. d. Berniz in med. Cnöffelian.*

an. Ann. Ephem. Germ. VII. tit. 18. p. 117. annexis descriptum, quod ita componitur:

℞. rad. scrophular. ℥ij. chelidon. ℥j. herb. linar. cum flor. mij. fol. hyoscyam. fl. verbasci, ana mj. *spongiar. cynorrhod.* n. iv. scarabæor. pilular. n. xij. ol. spermat. ranar. ℔iß. Factâ maceratione adde succ. cancror. ℥iij. Bulliant lento igne ad consumtionẽ humiditatis, fiatque fortis expressio, insolentur, adhùc per aliquot dies. Mirum in modum lenit pertinacem tumidarum hæmorrhoidum dolorem, si calidè applicetur.

In Hæmorrhagia uteri quacunq;.

SIve ab immodico mensium, sive à sanguinis puerperalis fluore descendat, *Cynosbati* fructus non dubitant commendare gravissimi Autores. Hinc si menses negotium facessant copiosô fluore, *D. Hoffmannus in Clave Schröd. l. 4. f. 1. §. 134.* aquam ex floribus *Cynosbati*, quæ majorem adstringendi vim possidet præ sativarum aqua, deprædicat. In eodem affectu Roob *Cynosbati*, præscribit *J. Philipp. Gieswein in Hodeg. med. p. 1336.* Assensum his præbet *Riverius in Praxi c. 3.* quô loco conservam fruct. cynorrhodi frequenter exhiberi jubet. *Jo. Hiskias Cardilucius lib. d. diat. c. 30.* decoctum

fruct.

fruct. *Cynosbati* cum vino rubello, nec non fructus cum arillis pulverisatos in fluxu mulierum albo & rubicundo dilaudat. Præsentissimum insuper his in affectibus est *Electuarium D. Cnöffelii in ejusdem medd. A. VII. Ephem. Germ. p. 141.* annexis. Cujus parandi modus sequens est:

℞. Conserv. Rosar. antiq. flor. tunic. condit. *fruct. cynorrhodi* ana ℥j. cydonior. cortic. virid. aurantior. flor. aurantior. condit. ana ℥ß. Corall. r. cum sperniol. præp. ʒij. sedativ. nostri gr. v. confect. alcherm. f. m. ℈v. cum sirupo Corallior. f. q. F. *Electuarium.* Dosis ʒij. manè & vesperi magnitudine nucis castaneæ.

Quòd si post partum *lochia* negotium facessant, tanquàm polychrestum dilaudat *Grülingius de morb. mulier. c. 39. p. 53.* hocce, his verbis: Nim getrocknete Hagenbutten mit Birnen gekochet / und trinck von brodio offters.

In fluore albo.

SUmmæ etiam efficaciæ dicitur esse succo ex baccis *Cynosb.* expressus cum arillis, & posteà exsiccatus, ex commendatione *Jo. Hiskiæ Cardilucii l. d. diæt. c. 30.* Consentiunt *Schröderus in pharmacop.* l. c. nec non *D. Hoffmannus in clave ejusdem sub Cynosbato.*

In

In Procidentia uteri.

Spongiæ *Cynosbati* elogio *D. Jo. Philipp.* Giesweins *in Hodeg. med. p.1336.* celebres sunt. Sunt enim in substantia exhibitæ præprimis egregium stypticum, pariterq; anodynum, ceu suprà de hæmoptöe diximus.

Articulus II.
In Morbis Externis.

SUMMARIA.

Flores Cynosbati in affectibus oculorum dilaudantur. Explicatur. Spongiæ prosunt in Alopecia. Illustratur. Utendi modus. Strumis quoque medentur. Probatur. Ingrediuntur pulverem contra strumas Mylii. Hæmorrhagias narium &c. sistunt. Experimenta. Paralysin externè tollunt. Herniam sanant. Recipiuntur in trageam contra hernias Mylii. Podagræ externè opem ferunt. Linimenti antipodagrici descriptio. Ulcera maligna, ♀ea & alia sanat. Explicatur. Experimenta. In Aridura lanugo Cynosbati confert. Probatur. Quando sint adhibenda unguenta illa, die Schwindsalben? *Spicula extrahit radix Cynosbati.*

In Affectibus Oculorum.

Ob signaturam, quam *Cynosbati* flores cum oculis habent, deprædicat eos *Jo. Fri-*

Fridericus Helvetius in Xisto herbar. c. 13. p. 16. Hinc in *ophthalmia*, ulceribus &c. præ aqua rosarum domesticarum non veremur commendare usum aquæ florum *Cynosbati*, cùm præter vim attemperandi humorum acrimoniam, & leniter adstringendi, & vulnerariam possideat facultatem. Hinc in *lippitudine* misceri potest cum aq. solatri, tutia ppta, sacchar ♄ni, addito pariter, si dolor urgeat, sieff alb. cum opio. Sic in vulneribus conjungi potest cum aqua ♋ *Mynsichti*, vel *Crollii*, sive mucilago ex ♋ cum aqua *Cynosbati* extrahi, & cum saccharo cand. & aliis copulari.

In Alopecia.

Sive ab achoribus & tinea, ceu apud infantes; sive à morbo quodam graviore præcedaneo, sive aliis ex causis fiat hoc capillorum defluvium, summæ utilitatis erunt medicamenta ex *Cynosbato.* Sic *Jo. Bapt. Porta phytognom. l. 1. c. 21. p. m. 39.* ait, cùm crocei in umbilico Rosarum crines capillitium referant, ob id sylvestris alopecias mirificè restituet. Spongiolis, quæ in mediis *Cynosbati* spinis nascuntur, incineratis & cum melle remistis, alopecias capitis expleri autor est *Plinius l. 25. c. 2. histor. natural.* Cui adstipulantur *Sennertus d. consens. & dissens. p. 329.* & *Hieronym. Bock. in herbar. p. 365.*

In Strumis.

Signaturæ ratione ſtrumis medebuntur *ſpongiæ Cynosbati*, eò quod excreſcentiæ fruticis ſint, quas ad noſtri quoque corporis excreſcentias tollendas conferre ait *J.B. Porta phytognom. l. 5. c. 19. p. m. 318.* Quare paſſim videas commendari ſpongias *Cynosbati* in ſtrumoſo gutture. *C. Swenckfeldius d. ſtirp. Sileſ. p. 184.* naturæ ſuaſu ſtrumoſis prodeſſe eas affirmat. Sic *Macaſius promptuar. mat. med. l. 2. c. 22. p. 369.* eodem in adfectu eosdem commendat. Accedit his experientia *D. Michaelis*, qui in Collegio Jonſton. MSS. paria de iis ſentit. Confer, quæ hanc in rem pariter commendavit *Dn. Cardilucius l. d. diæt. c. 30.* itemq́ue in medicina militari *D. Mindereri p. m. 400.* Hinc elegantiſſimus quoque eſt *pulviſculus*, quem hunc in ſcopum commendat, & annotatum reliquit *Dan. Mylius pharmacop. Spagyr. l. 2. c. 10. p. 451.* contra bronchocelen, qui ſic paratur:

℞. *ſpongiarum, vel excreſcentiarum ſpongioſarum, quales in Cynosbato naſci ſolent,* ℥ij. ſpongiæ marinæ tantundem. Pòſt, ℞. cinerum harum ſpongiarum ℥j. cineris chartæ leucophæ combuſtæ ʒij. cinnamom. ℥ß. corall. r. præp. ℥iß. M. F. *Pulvis*,

In

In Hæmorrhagia Narium &c.

NObiliſſimus *D.D. de Berniz in medd. Cnöffelianis A. Ephem. Germ. VII. p. 37.* annexis, poſtquàm ſpongiam ſomniferam ex ſpongia *Cynosbati* & aliis deſcripſerat, in parentheſi veluti dilaudat quoque eandem ſpongiam, ſi cum aqua ſpermat. ranarum, menſe Martio recenter collecti, in quo tamen prius ⊕li & ○nis aliquid ſit diſſolutum, inſuccentur, & denuò exſiccentur. Conferre, pergit, eam in quacunque hæmorrhagia, quam ſubitò ſiſtit.

Thomas Willis d. pharmaceut. rational. part. 2. p. 421. eximiè deprædicat ſequens:

℞. conſerv. roſar. rub. *Cynorrhod.* ana ℥iij. pulv. ſantal. omnium ʒß. Corall. r. præp. ʒj. Croc. ♂. rubic. ʒij. ⊖ prunell. ℈j. c. ſ. q. ſirup. Corall. F. *Electuarium.* Doſis, quantum nucis caſtaneæ &c.

Aliud vide in ejusdem *tract. d. ſcorbut. p. 307.*

In Paralyſi.

EXternè commendat autor *medicinæ Dygbæan. tom. 2. p. m. 97.* miſturam ex rad. agrimoniæ, ſemine *Cynosbati*, balſamo, oleo chamomillæ, bacc. lauri, rad. pyrethri, in oleo olivarum decoctis, cum pulegio, melle & ⊖le remiſto. M. & illinatur.

In Hernia.

EGregiam & multæ utilitatis *Trageam* ad omnes *Herniæ* species communicavit *Dan. Mylius in pharmacop. spagyr. l. 2. c. 10. p. 451.* quæ ita componitur:

℞. rad. consolid. major. ℥ß. herniar ℥j. *pulv. spongiar. Cynosbat.* ʒiij. essent. corall. perlar. ana ʒiiß. magist. lap. hæmatit. ℈iv. spodii, terræ sigillat. ana ʒij. cinnamom. fœnicul. dulc. ana ʒj. sacch. rosat. q. s. F. *Pulvis.*

In Podagra.

C*Rollius in basilic. Chym. p. m. 245.* sub antipodagricis, & *Grülingius in Florileg. Chym. p. m. 276.* editionis primæ, describunt, commendantque unguentum anodynum in sistendo dolore podagrico egregium, quod flores cynorrhodi ingrediuntur. Paratur ita ad mentem amborum.

℞. *flor. rosar. sylvestr.* mx. herb. & cort. exterioris rec. hyoscyam. mvj. concisis affunde mensuram ß. vini, coquantur & posteà exprimantur, & colentur. A colatura aqua in MB abstrahitur, ut instar mellis residentia remaneat. Tandem adde pingvedin. suillæ castratæ ℔ij. misceque; posteà amotis ab igne & refrigeratis parum adde opii pulverisati & in vino

no diſſoluti ℥j. croci pulv. 2. avellanarum quantitatem, extract. flor. verbaſc. ℥ß. F. *Unguentum* cineritii coloris.

Cujus unguenti deſcriptionem ad *Crollii* mentem vide etiam in *Cardilucii* Stadt- und Land-Apotheck *tom. 3. p. 811.*

In ulceribus.

Sive malignitatem quandam ea redoleant, ſive inter benigniora referri ament, magnos præſtat effectus *cynosbatos.*

In Ulceribus malignis & deploratis Telephio palmam præripere *folia & germina rubi canini*, ſeu *cynosbati*, (quæ à cynorrhodo non differt,) in vino decocta, ſi eô calido ulcera ſæpè abluantur, per experientiam multiplicem confirmatus ait *B. D. Mollenbroccius cochlear. curioſ. c. 2. p. 23.*

Sic *Daniel Mylius in ſpagyr. pract. l. 2. c. 14. p. 701.* familiares habet *trochiſcos* pro ſuffimigio in lue ♀ea, qui *ſpongias cynosbati* recipiunt. Conſiunt verò ita:

℞. cort. thuris, maſtich. oliban. myrrhæ, ſtyrac. calamit. gumm. juniper. ana ℥ß. roſar. rub. ſantal. omn. ana ʒij. auripigment. rub. ʒiij. lapid. pyritæ ʒij. balauſtior. *ſpongiar. bedeguar* ana ʒiij. c. mucilagine g. tragacanth. F. Trochiſci.

In *ulceribus virgæ* aliisque corroſivis vel ſine dolore & corroſione commendat *Stockerus*

in Empir. à *Dorncrellio edita l. 1. c. 56. p. m. 157.* pulverem, sive cineres *Bedeguar*, i. e. fungi, qui nascitur in arboribus rosarum, qui h. l. mirabilis est, prout ejus verba sonant.

Spongiolas juglandium cum *spongiis cynorrhodi* in ulceribus genitalium deprædicat *D. Velschius mictomimem. p. 23.*

In Aridura.

SIve incipiente partis alicujus emaciatione & tabe, à quacunque etiam causa procedat, præter Urticationes, quibus alii insigni cum emolumento utuntur, potest tanquam singulare mistura sequens in usum vocari:

℞. succi urticæ recent. part. ij. *lanugin. arillor. cynosbat.* p j. alumin. plumosi p. ß. M.

Quâ membrum contabescens, panno aspero priùs inspersâ, studiosè fricandum est, ad rubedinis & doloris alicujus sequelam, hinc cessa, & alia porrò adhibe. Nec foret de nihilo, si cum aquis specificis, v. g. *Hoffmanni in thesaur. pharmaceut.* descriptis, justâ proportione misceretur lanugo hæc, & præviâ liquoris agitatione membro tabido calidè affricaretur. Ubi notari merebitur, lanuginem hanc cum oleosis non esse miscendam, ne sic vis rubificandi per occursum particularum oleosarum, & pinguium, infringatur, & spiculis earum obtusis ita parum prosit. Id quod & de aliis rubificantibus monendum erit, ne ob

pingve-

pingvedinum, oleorumve copiam, (nisi fuerint volatilia,) pori cutanei magis obstruantur, virtusque medicamenti sic cohibeatur. Hinc ex nostra observatione sub initium, ubi tùm refrigeratio, tùm stupor partium, cum macie simul fatigant, rectius adhibentur aspera, urentia, & spiculis salinis turgida, ut calor & sensus partium redeant. Posteà verò danda sunt linimenta illa usitata, die Schwind-Salben / dicta.

Alioquin *Apollinaris d. medic. facilè parabil. l. 1. p. 162.* commendat *aquam Rosarum sylvestr.* manibus pedibusq; illitam, si tabem ex diuturno morbo quandam contraxerint.

In spiculis extrahendis.

CYnosbati radix à *Schrödero pharmacop. l. 4.* sub *cynosbat.* commendatur. Videri quoque potest *Jo. Bapt. Porta phytognom. c. 21. p. m. 39.* De floribus *cynosbati* arboreæ idem pronuntiat *Tabernæmontanus in herbar. l. 3. pag. 1449.*

LIBER V. OECONOMICUS.

CAPUT I.

De usu Cynosbati

In Re cibaria.

SUMMARIA.

Usus cynosbati in Oeconomia multus. Edulium præbent fructus cynosbati gratissimum. Modus id

id conficiendi. Embammata pariter inde conficiunt. Quomodo?

Cynosbatos non tantùm in medicinæ, cui tota ſinu ſe pandit; ſed culinæ etiam & menſæ, quam ornat, gratiam, nata eſt. Imò & alios uſus oeconomiæ ſtudioſis præſtat haut vulgares.

Serviunt namque primo loco baccæ *cynosbati* pro *edulio* ſatis grato, cùm nempè prius exacinatæ, juſtoque modo exſiccatæ, vel ſolitariæ, vel cum aliis v. g. prunis, ceraſis &c. ſociatæ, interventu ſeu cereviſiæ dulcioris, ſeu vini generoſi coquantur, ſaccharoque poſtmodũ vel melle, quod *Simon Pauli Quadripart. l. c.* vult, pro blandimento lingvæ majore edulcentur. Quo etiam collimat *B. D. Schenckius in marathrolog. p. m. 36.* Norimbergenſes, dicendo, inter bellaria numerant fructus *cynosbati*, quos ſummè maturos, & à lapidibus purgatos, haſtulis ligneis transfigunt, poſteà aniſi, vel fæniculi ſemine probè conſpergunt, inque clibano exſiccari permittunt. Edulium eſt, pergit, ad ventriculi & renum langvores emendandos aptiſſimum.

Sic *Embammata* pariter grati ſaporis conſiunt vel ex fructibus *cynosbati* exſiccatis, in vino probè coctis, poſtmodum percolatis, ſaccharoque conditis; Vel, quod compendium rei eſt, concinnari poſſunt ex Roob *cynos-*

bati

bati in vino optimæ notæ soluto, & sacchari additione edulcato.

CAPUT II.
De Usu cynosbati pro finibus determinandis.

SUMMARIA.

Servit quoque cynosbatos finibus, seu limitibus determinandis. Explicatur.

DEinde facit quoque *cynosbatos* ad limites agrorum, pratorum, viarumque distingvendos, determinandosque. Hinc Ruricolæ *cynosbatum* illam, quæ latera agrorum pratorumque lambit quasi, non facilè evellunt. Imò, sicubi non invenerint inibi *cynosbati* frutices, alios ex vicinia conquirunt, eosque in hunc finem adolescere faciunt.

CAPUT III.
De Usu cynosbati in conficiendis sepibus vivacioribus.

SUMMARIA.

Sepes ex cynosbato extruuntur vivaciores. Ostenduntur modi varii per semina, radices, surculos ejusdem.

EST etiam alius *cynosbati* usus oeconomicus pro sepibus vivacioribus & duraturis, lebendige Zäune vocant, conficiendis, eum in

 finem

finem à peritorum hortorum cultoribus excogitatus, tùm ut pecudes ferasque ab importunis incursibus sic arceant; tùm ut diffusos in fabricandis aliis sepibus sumtus h. m. evitare possint. Hinc negotium hoc ita adornant;

Quidam adsumunt semina *cynosbati* vel sola, vel cum aliis v. g. acaciæ, maritata, quæ absque ullâ maceratione prævia, quemadmodum *Colerus*, oeconomorum ille Primas, *libr.5. c.37. p. m. 166.* adsolet; vel præmissâ eorundem in aqua, addito unà stercore vaccino, maceratione, ceu *D. D. Elsholzius in Horticult. l.4. c. 11. num. 9. p. 303. 4.* Fossulæ circa plenilunium committunt, hinc semina illa terrâ pingviore cooperiunt, & per aliquot dies aquâ probè conspergunt.

Alii verò semina *cynosbati* tempore autumnali recipiunt, & factâ prius fossâ huic negotio accommoda, per eandem funiculos ex stuppa cannabina molliter factos, linearum instar ducunt, quibus semina illa eâ, quâ volunt, distantiâ, eoque numero, qui placet, indunt, & terra postea cooperiunt, persuasi, fore, ut germina subsecuturo vere sic justo ordine, justoque numero sint nascitura. Qui modus certè egregius est, cujus etiam meminit ex *Palladio Petrus de Crescentiis l.3. fol. m. 24.* in hoc tamen à priore discrepans, quòd semina hæc *rubi canini* cum farina herebi, ceu loqui amat vetustus ille scriptor, prius in aqua macerata

cerata miſcere, & dehinc funibus committere jubet. Et *lib. 5. fol. m. 68.* idem docet, ſemina illa eſſe huc aptiſſima, quorum fructus poſt vindemiam collecti colorem fuſcum, & mollitiem quandam habeant.

Sunt qui per Radices *cynosbati* propagationem pro ejuſmodi ſepimentis fabricandis moliuntur. Sicuti prælaudatus *D. D. Elsholzius l. c.* docet, qui autor eſt, ut menſe Octobri in plenilunio radices *cynosbati* unius pedis longitudinem habentes, foſſæ unum pedem altæ, & unum latæ, committantur, quas radices juſtâ ſic dimenſione collocatas terrâ opima cooperiri jubet, ita tamen, ut ne foſſam impleat totam, quò pluviæ ſe in eandem inſinuandæ detur ſpatium. Quæ germina poſtquam per 3. annorum periodos ita adoleverint, mandat, ut invicem connexa complicataque, dehinc debito tempore amputentur in cacuminulis ſuis &c. *Vidillum.*

Sic fit quoque ſepium talismodi fabrica per ſurculos *cynosbati*, ut nova germina propullulent, terræ commiſſos. Hinc idem *Elsholzius l. c.* mandat, ut recipiantur ſurculi unius anni ætatem jam experti, qui ulnæ unius longitudine eâ parte, quâ craſſiores ſunt, per inciſuram diviſi, in foſſam ritè præparatam reponendi, ita, ut ſuperior pars eorum è terrâ, quâ prominet, non ſit alta nimis, quò radicum pullulatio non impediatur.

Caput IV.

De Usu cynosbati in emendanda arborum sterilitate.

SUMMARIA.

Arborum porrò sterilitatem emendant cynosbati fructus. Experimentum Coleri.

Cynosbatos porrò juvat, acceleratque fæcunditatem arborum, præprimis quæ vel per naturam, vel ætatem, sterilitatis notâ infames redditæ sunt. Hinc ex observatione *Coleri lib. Oeconom. 5. c. 12. p. m. 153.* ita emendantur. Remove terram à radicibus illius arboris infaustæ, & majusculas ejusdem radices aperi, quibus immitte unam, vel plures baccas *cynosbati*, addendo stercus caprillum, vel suillum. Hinc radices terrâ postliminiò munito, & sic fœcundabitur arbor.

Caput V.

De Usu cynosbati in Arte Emphyteutica.

SUMMARIA.

Cynosbatos quoque conducit insitioni surculorum, zum Propffen. *Explicatur modus. Observatio.*

Sic *cynosbati* frutex eâ ulterius gaudet utilitate, quòd per modum insitionis & alios alia-

aliarum arbuſcularum ſurculos promptè admittat. Sic idem *Colerus l. c. p. 154.* ait, Perſicæ arboris ſurculus ſi *cynosbato* per inſitionem maritetur, fore, ut fructus illi & magnitudine, & ſapore gratiore ſe ſint commendaturi. Varios autem arborũ ſurculos poſſe per venerem illam arboream trunco *cynosbati* inſeri, paſſim liquet. Sic ſorbus aucuparia quoque inſeri poteſt, teſte *Elsholzio l. c. p. 281.* Sic meſpili ſurculus eidem inſitus feliciter creſcit, quæ nonnullorum obſervatio eſt. Notari tamen expedit, quod itidem ab experientia didicit *Colerus l. c.* ſi ſurculi *cynosbato* per inſitionem adaptentur, fore, ut germen iſtud novum longe craſſius, majusque evadat, quàm ipſe truncus, cui inſeruntur. Hinc neceſſe, ait, eſſe, ut truncus iſte, in quo talismodi inſitio debet celebrari, prope terram amputetur, & dehinc ſurculi eidem inſerantur: Qua ratione pari craſſitie, parique robore eadem futura eſſe conſpicua.

Caput VI.

De Uſu Cynosbati vario.

Summaria.

Virgultorum Cynosbati uſus pro pecude, pro ſervis &c. Quæſtiones Oeconomicæ tres. Quare ſurculi cynosbato inſiti non mutentur in cynosbatum? Explicatur. An Roſa ſativa ſylve-

sylvestribus queant implantari? Sententia Autoris. An cynosbatos possit transpositione in hortos mitescere?

HAbet denique *cynosbatos* in re Oeconomica & hoc commodi, ut sive tenerrima ejus virgulta, sive stipites justæ magnitudinis, à ramis liberati, usurpentur tùm à pastoribus pro imbelli pecude edomanda; tùm à patribus-familias (si Jocoseriis hîc locus) pro licentiosis immorigerisque servis castigandis, quandoquidem ob firmitudinem non facilè frangi solent.

Epilogi loco quærimus, quomodo surculus alius speciei trunco per insitionem maritatus, queat retinere omnes illas qualitates, omnesque facultates, quas habuit ante insitionis actum, quasi arbori propriæ adhuc cohæreret? Quare non potius per succum nutritium, quem à trunco novo accepit, & ipse sic immutetur, consimilesque cum trunco vires, qualitatesque induat? v. g. quando mespilus, sorbus, seu alius generis surculi *cynosbato* per insitionem implantantur, cur non *cynosbati* potiùs frutex inde emergat? Loquimur hîc de surculis specie à trunco, cui inserendi sunt, diversis. Nam quando pyrus in pyrum, malus in malum &c. inseritur, nullum subest mysterium.

Supponimus (1.) surculis istis adhuc ines-

se

ſe animam ſuam vegetativam, ſuamque vitam, quam mediam vocat *D. D. Kergerus d. ferment. ſect. 1. c. 6. p. m. 49.* nec deeſſe illis ſuas proprietates, quas arbori antehàc cohærens poſſedit, licet jam ab ea ſint revulſi. Exempli gratiâ, quòd ſalicis, quod & aliarum arborum ſurculi, tametſi per aliquot dies revulſi amputatique fuerint, nihilominus illi terræ commiſſi; hi verò arte inſititiâ trunco alicujus arboris mancipati, apprimè & germinent, & adoleſcant, ceu præfatus *D. Kergerus* ibi pluribus diſſerit.

Supponimus (2.) ſurculos taliſmodi connata habere fermenta, ſpecificis dotata facultatibus, de quibus *Sylveſter Rattray* in aditu ad ſympath. & antipath. paſſim egit; & præprimis *p. m. 92.* ubi ait, in inſitionibus arborum ſurculum convertere ſuccum radicis alterius ſpeciei in ſuam naturam, mutatis omnibus ejus proprietatibus &c.

Hinc arbitrari fas erit, fermenta iſta ſurculis uſque cohærentia, mediante anima vegetativa, quâ pollent, habere vim ſuccum illum à trunco, in quo inſitio illa facta eſt, advenientem novo quaſi afflatu inſpirandi, eumque in ſui naturam pervertendo, ut aptus fiat pro ſurculo non tantum augmentando; ſed pro ejuſdem quoque proprietatibus conſervandis.

Nos tamen, ſi experientiam conſulamus no-

noſtram, haut negamus, per inſitionem ſurculorum domeſticorum in truncos ſylveſtres quodammodo immutari poſſe naturam arboris novæ. Id quod etiam *J. B. Porta phytognom. l. 2. c. 25. p. m. 49.* affirmat, quando fructus ejusmodi ex ſubjecti trunci qualitate, ſapore, odore, colore, magnitudine &c. immutari docet. Conſidera ſis, quæſo, pyri, mali &c. ſurculos truncis cydoniorum per inſitionem maritatos, eorumque fructus, & magnitudinem attende, & experieris, nec fructuum ſaporem eſſe ita gratum, nec ipſammet arbuſculam in eam, quâ debebat, adſurgere proceritatem. Cætera ut taceamus.

Occaſione *Emphytiſmi* pergimus quærendo. *An cynosbato* etiam poſſint ſurculi Roſarum domeſticarum implantari? Experientiam hujus negotii hactenus nullam habuimus, facilè tamen credimus, haut fore impoſſibile, modò diligenti inſerentis manui & cultura accedat juſta. Quoniam verò Roſæ ſativæ luxurioſo proventu ſunt conſpicuæ, & unicus ſæpè earundem ſtipes à radicibus numeroſam excludat ſobolem, hinc factum eſſe putamus, ut inſitionis hujus negotium parum curæ hactenus pepererit.

An cynosbatos relictô patrio ſolo, & Sylvani contubernio, in hortos à ſativis arboribus adoptetur, & accedente culturâ ſylveſtrem exuat genium, id quod de pyraſtro & aliis memo-

memoratur, ſi quæris, in promptu erit, quod reſpondebimus; Nempè *cynosbatum* quidem translatione in hortos factâ felicius creſcere, culturâ tamen non miteſcere. Nam videre licuit nobis non ita pridem taliſmodi *cynosbatum*, quæ licet amæniſſimi alicujus horti incola eſſet facta, nihilominus tamen ſpinas ſuas retinuit non tantum, ſed & foliis, fructibusque ipſas præter ſylveſtrem morem communicavit. Verbo, nihil in ea vidimus ſingulare, præterquam quod frutex proceritate, & fructus cum foliis magnitudine, ſylveſtrem excederent ſuperarentque *cynosbatum*.

FINIS.

CATA-

CATALOGUS AUTORUM.

A.

JOhannes Agricola.
Ulyſſes Aldrovandus.
Paulus Ammannus.
Q. Apollinaris.
Ariſtoteles.
Joſephus d. Aromatariis.
Averröes.

B.

Chr. Adolphus Balduinus.
Paulus Barbette.
Jacobus Barnerus.
Thomas Bartholinus.
Caſpar Bauhinus.
Jo. Joachimus Becherus.
Daniel Beckerus.
Joannes Beguinus.
Martinus Bernhardi d. Berniz.
Biblia ſacra.
Caſpar Theophilus Bierlingius.
Martinus Blochwizius.
Hieronymus Bockius.
Joannes Bohnius.
Petrus Borellus.

Ro-

Robertus Boyle.
Erneſtus Burggravius.
Hermannus Buſchovius.

C.

Jo. Hiskias Cardilucius.
Hieronymus Cardanus.
Andreas Cæſalpinus.
Gabriel Clauderus.
Andreas Cnöffelius.
Joannes Colerus.
Jo. Crato à Krafftheim.
Petrus d. Creſcentiis.
Oſwaldus Crollius.

D.

Jo. Baptiſta Denis.
Pedacius Dioſcorides.
Dodonæus.
Kenelmus Dygbæus.

E.

Jo. Sigiſmundus Elsholzius.
Ephemerides Germanorum.
Michael Ettmüllerus.

F.

Jo. Petrus Faber.
Le Febure.
Jo. Michael Fehr.
Jo. Vincentius Finckius.
Jo. Freitagius.
Leonhardus Fuchſius.

G.

Galenus.
Chriſtian Fridricus Garmannus.
C. Gemma.
Jo. Philipp. Gieswein.
Jo. Rudolphus Glauberus.
Rudolphus Goclenius.
Nehemias Grew.
Philippus Grülingius.
Joannes Guterus.

H.

Joannes Hagendornius.
Jo. Hartmannus.
Heinricus ab Heer.
Jo. Baptiſta Helmontius.
Jo. Fridericus Helvetius
Jo. Ferdinandus Hertodius.
Jo. Heurnius.
Caſpar Hoffmannus.
Jo. Fridericus Hoffmannus.
Wolffgangus Hœferus.
Gregorius Horſtius.

J.

Georg. Sebaſtianus Jungius.
Joannes Jonſtonus.

K.

Martinus Kergerus.
Athanaſius Kircherus.
Sophronius Kozakius.

L.

Christianus Langius.
Guilielmus Laurembergius.
Lobelius.
Daniel Ludovici.

M.

Joannes Macasius.
Joannes Manardus.
Jo. Daniel Major.
Marcellus Malpighius.
Marcellus Empiricus.
Jo. Marcus Marci.
Matthæus Martini.
Petr. Andreas Matthiolus.
Guilielmus Menens.
Joannes Michaëlis.
Valent. Andreas Mollenbroccius.
Dan. Georgius Morhofius.
Jo. Daniel Mylius.
Adrianus Mynsicht.

P.

Palladius.
Paracelsus.
Simon Pauli.
Jo. Nicolaus Pechlinus.
Georg. Christophorus Petri.
Joannes Petræus.
Plinius.
Felix Platerus.
Jo. Baptista Porta.

Q.

Josephus Quercetanus.

R.

Matthias Ramlovius.
Sylvester Rattray.
Franciscus Redi.
Salomon Reiselius.
Joannes Renodæus.
Lazarus Riverius.
Rochas.
Guernerus Rolfincius.
Jo. Carolus Rosenbergius.
Ruellius.
Martinus Rulandus.

S.

Philipp. Jacobus Sachsius.
Benjamin Scharffius.
Angelus Sala.
Joannes Scapula.
Jo. Theodorus Schenckius.
Joannes Schenckius.
Samuel Schönbornius.
Joannes Schröderus.
Simon Schulzius.
Joannes Schyronius.
Daniel Sennertus.

Joannes Serapio.
Adrianus Spigelius.
Joannes Stockerus.
Sigismund. Rupertus Sulzbergerus.
Caſpar Swenckfeldius.
Franciſcus Sylvius.

T.

Tabernæmontanus.
Otto Tachenius.
Joannes Tackius.
Theophraſtus.
Joannes Tilemannus.
Matthias Tilingius.
Balthaſ. Timæus à Güldenklee.

V.

Hieronymus Velſchius.
Arnoldus d. Villa Nova,
Joannes Georg. Volckamerus.
Henricus Vollgnadius.
Voëtius.
Matthias Unzerus.
Leonhardus Urſinus.

W.

Georg. Wolffgangus Wedelius.
Thomas Willis.

Z.

Adamus Zaluzanius.
Joannes Zwelfferus.

IDEA CYNOSBATOLOGIÆ.

LIBER I. PHILOLOGICUS.

CAPUT UNICUM.

De Nomine Cynosbati.

LIBER II. PHYSIOLOGICUS.

CAPUT I.

De Vegetatione Cynosbati in genere.

ARTICULUS I.

De Modo Vegetationis.

ARTICULUS II.

De Forma.

ARTICULUS III.

De loco Natali.

ARTICULUS IV.

De Speciebus & Differentiis.

AR-

ARTICULUS V.
De Ætate.

CAPUT II.
De Vegetatione Cynosbati in specie.

ARTICULUS I.
De Radice.

ARTICULUS II.
De (1) Trunco. (2) Spinis. (3) Ramis. (4) Medulla.

ARTICULUS III.
De Foliis.

ARTICULUS IV.
De Floribus, & Capitellis aciniferis.

ARTICULUS V.
De (1) Baccis. (2) Arillis. (3) Lanugine.

ARTICULUS VI.
De (1) Spongiis. (2) de Vermiculis.

CAPUT III.
De Descriptione Cynosbati.

LIBER III.
PHARMACEUTICUS.

CAPUT I.
De Præparatis ex Floribus Cynosbati.

1. Aqua.
2. Spiritu.
3. Conserva.
4. Sirupo.

CAPUT II.
De Præparatis ex Baccis Cynosbati.

ARTICULUS I.
De Medd. ex pulpa.

1. Aqua Simplici & Comp.
2. Spiritu.
3. Tincturis variis.
4. Elixirio.
5. Aceto.
6. Vino medicato.
7. Sirupo.
8. Electuario.
9. Condito.
10. Roob simplici, & comp.
11. Sale essentiali.

ARTICULUS II.
De Medd. ex Arillis.

1. Spiritu.

2. Oleo

2. *Oleo expresso, & destillato.*
3. *Emulsione.*
4. *Balsamo* 🜍. *Cynosbatino.*
5. *Pulvere præparato.*
6. *Sale.*

CAPUT III.

De Præparatis ex spongiis Cynosbati.

ARTICULUS I.

Ex Spongia integra.

1. *de Spiritu.*
2. *Decocto.*
3. *Extracto.*
4. *Essentia.*
5. *Magisterio.*
6. *Sale.*

ARTICULUS II.

Ex Vermiculis.

1. *De Liquore.*
2. *Spiritu.*

CAPUT IV.

De Præparatis ex Ligno Cynosbati.

1. *De Spiritu.*
2. *Sale.*

N 5 LI-

LIBER IV.
THERAPEUTICUS.

CAPUT I.
De Viribus Cynosbati Generalioribus.

ARTICULUS I.
De usu Florum, Foliorum, Fructuum, Spongiarum &c. generaliori.

ARTICULUS II.
De Qualitatibus.

ARTICULUS III.
De Noxâ.

CAPUT II.
De Viribus Cynosbati Specialioribus.

ARTICULUS I.
In Morbis Internis, idque

I.

In Affectibus supremi Ventris, scil. Capitis.

Cephalalgia.
Vigiliis.
Epilepsia.

Phreni-

Phrenitide.
Rabie, s. Hydrophobia.
Affectibus faucium.

II.

In Affectibus Medii Ventris, scil. Pectoris. e. g.
Tussi.
Pleuritide.
Hæmoptoë.
Pro Vita prolonganda.

III.

In Affectibus infimi Ventris scil. Abdominis.
Ardore ventriculi.
Epatis intemperie cal.
Icteritia.
Hydrope.
Dysenteria.
Lumbricis.
Calculo Renum & Vesicæ.
Urinæ difficultate.
Mictione cruenta.
Hæmorrhoidum dolore.
Hæmorrhagia Uteri quacunque.
Fluore albo.
Procidentia Uteri.

ARTI-

ARTICULUS II.

In Morbis Externis.

Oculorum inflammatione.

Alopecia.

Strumis.

Hæmorrhagia narium &c.

Paralysi membrorum.

Hernia.

Podagra.

Ulceribus antiquis,
Venereis, &
genitalium.

Aridura.

Spiculis extrahendis.

LIBER V.

OECONOMICUS.

CAPUT I.

De Usu Cynosbati.
In
Re Cibaria.

CAPUT II.

in
Finibus determinandis.

CAP.